IVSTI LIPSI EPISTOLARVM CENTVRIAE DVÆ:

Quarum prior innouata, altera noua.



LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
CIↃ. IↃ. XC.

Por comision del S.º Iff.º e visto y corregido este Libro conforme a la censura de el Sup.º consejo de ynquisicion en 20. de Otubre de 1613. —

Pedro de Sotomayor.

AD PRÆTOREM,

CONSVLES,

ET

SENATVM REIP.

VLTRAIECTINÆ.

Viri Nobiles, Viri Prudentes,

EPISTOLAS meas aliquot, quas his diebus collegi, & errantes redegi ſub vnum huius Centuriæ velut ſignum, viſum mihi in lucem dare: idque ſub tutelâ nominis veſtri. Cauſſam habui duplicem. Prior eſt, quia lucem aliquam tenui huic & per ſe obſcuræ ſcriptioni conciliare conatus ſum à luce veſtrâ: quorum antiqua, potens, & amœna vrbs ſplendet inter Belgicæ primas: vosque in eâ, per prudentiam & virtutem. Cauſſa altera. quòd beniuolentia veſtra huc me impellit & comitas, quâ publicè ac priuatim inſigni ſemper in me vſi. Omitto amicitias,

quæ mihi cum pleriſque veſtrorum ciuium artæ: ſed pedem nunquam in vrbem veſtram poſui, quin clara mihi ſigna eximij cuiuſdam adfectus & cultus. Cum honore & amore venientem excepiſtis, hærentem habuiſtis, abeuntem dimiſiſtis. Quo meo merito? nullo, fateor: ſed ſolo impulſu beneficæ & humanæ naturæ: quæ velut fato aut Genio, inter adſitas omnes gentes, propriè eſt veſtra. Quod eo maius veſtrum beneficium; quia tam munes fuiſtis in re & verbis hactenus immunem. Id ne vltrà ſim, verborum ecce ſaltem & ſcripti munus hoc capite: Epiſtolas inquam meas, nouum & veterem ingenij noſtri partum. nouum diſpoſitu, compoſitu veterem. ſed partum profectò infirmum, informem: & quem per diuturni hoc morbi tædium nec fingere nec polire mihi mens, quemque abieciſſe verius videor quàm peperiſſe. Vos ei tutores, imò patres: tangite, tollite expoſitam hanc prolem: & inprimis auctoritatis veſtræ ſcuto defendite contra maligni liuoris dentem. Ita deus vos & veſtram vrbem ciuilium hâc bellorum flammâ aliquando eripiat, quâ vndique nunc cincti. Lugd. Bat. Id. Nouemb.

LECTO-

LECTOREM MEVM SALVERE IVBEO.

EN tibi Epistolas nostras, mi Lector, sed in parte. & eamipsam partem, non mentior, trepidè emisi, & quodammodo volens nolens. Volentem me sanè volentia tua facit: cuius fauoris aura suauiter adhuc mihi spirat. nolentem, argumentum. Primùm, quia id tenue: nec famæ ab eo magna spes. Epistolas enim meras damus: diales nostras nugas, iocos, lusus, & cum amicis garritus. Quid serium hîc magno opere, aut cultum? quin epistolæ esse desinunt, si nimis tales. Ordinem aut dilectum in materiâ, curam aut limam in stilo quispiam exspectat? à me frustrà: quia in blandiente illâ hæresi ego, vt epistolas sub manu nasci debere censeam & sub acumine ipso stili. Atque adeò (dicam verè) bis non scribo, bis vix eas lego. Profluunt mihi ex liquido quodam canali aperti pectoris: & vt animus aut corpus meum est cùm scribo, ita illæ. Victor meus solitus dicere, indices ei semper valetudinis nostræ meas litteras, etiam cùm non indices. Nec falsò. Languent enim illæ, excitantur, dolent, gaudent, calent, frigent mecum. Affectus animi corporísque mei in hâc tabellâ. Quòd si quædam in his seriæ: tamen paucæ: & præponderat, vereor, leuiorum multitudo. Nam nullas esse falsò dixerim. quia interdum intercurrunt totæ & ex professo tales, philologæ aut philosophæ, & salubrium aut docentium præceptorum plenæ. Consulimus, monemus, cauemus, apud iuuentutem præsertim: quam cura mihi semper ad vtilia, non solùm ad amœna ducere, & animo ac robore ponere supra hunc vulgum. Quas ipsas si paullò diligentius scripsi, & velut percolui digniori quâdam sermonis veste: nihil, credo, peccaui. quia hoc quoque sine curâ meâ magnâ, sine ambitu. cuius manus nimisquàm facilè mentem sequitur: & cùm impleuit eam materies grandior, chartam mihi vltrò verba. Famam igitur siue laudem sperem hîc haud magnam. Atque adeò infamiam qui non timeam, cùm oculos siue ad æuum hoc flexi, siue ad rem ipsam? illud quidem pronum ingerere calumnias,

hanc natam accipere toto sinu. Detegimur enim in epistolis, & subiicimur oculis pænè nudi. Nosse me, aut alium vis? epistolas lege, quæ depingunt. Ingenij mei, adfectus, iudicij, imò & vitæ non vana imago istic. Alibi fucus & simulatio habitat: hîc candor, hîc veritas, & non nisi natiuus ille color. Quî simulet in subitâ illâ & sæpe calidâ scriptione animus? non potest. Quî apud amicum & se alterum? non vult, non debet. Reuera enim deprehenditur aut emicat, priusquam se componat: nec velum ei ducere succurrit, quo tam citò, & apud tales se tegat. Protrahit igitur hominem maximè hæc scriptio: & ideò iudiciis calumniisq; exponit. De te tuísque memoras? quod carpant reperient, ut vanum, ut iactabundum. De aliis? hîc quoque, quod carpant. Illi in laudes nimis pronus videbere, alij in reprehensiones: huic ad superbiam vergere, alteri in adulationem proclinare. Denique in publicâ & ciuili re, sub cineribus qui occulti ignes? Pietatis mihi rem alibi tange: apud hanc aut illam partem peristi. Reges aut status: cadaueres & funus. Atqui hæc in epistolas sæpe intercurrant necesse est, aut ne currant illæ. In quibus omnibus etsi nos (quantum prudentia quidem mea tulit) temperauimus: tamen vereor ut temperet sibi à me quoque intemperies quorumdam. Voces iam audio, & prævideo quid ad me: ego à verâ culpâ tantùm abesse me scio, quantum carptores illos à verâ laude. Improuidè fortasse alibi aliquid dictum emissitij illi oculi reperiant: at nihil impie aut malignè. Hoc testor, hoc profiteor. mali iuris, mali moris ille, quisquis aliam mentem mihi affinget ex suâ mente. Nec hoc te lædat, quòd vnum aut alterum alibi læsi. Apertè, fateor, nec tamen nominatim. Se ille quicumque est prius prodat & accuset necessum est, quàm me. Cur non liceat? pestes & vitia hæc hominum detegi, ex vsu hominum est: etsi non ipsos. Peti se illi sentiant, alij suspicentur. In hoc tamen quoque, sicut in ceteris, siquid peccatum: pòst emendabitur. quia nunc vnicum hunc librum velut in gustum damus, & periculi faciendi caussâ. Emitto inquam hanc Centuriam, aut præmitto veriùs ex Epistolari meâ legione, tanquam ad incerta itinerum exploranda. & si nulli aut pauci hostes; fidenter omnes copias producam in hunc Famæ apertum campum. sin laquei & insidiæ; quiescam, & tenebo me iure in fidis silentij castris. Tu ô bone, faue, ama, fauentem, amantem.

INDEX EPISTOLARVM CENTVRIÆ I.

Mareo

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM CENTVRIA I.

EPIST. I. Louanium.

CORNELIO VALERIO S. D.

VITAE *genus, quod à reditu elegeram, & indicaui præsens tibi mi Valeri, & probaui. quietum istud, modestum, latens, remotum ab ambitu & à curis. Et iam ingressus seriò eram. cùm (ecce subitam vim Fati) vereor vt subitò id mutem. Nam tempora quæ impendeant, vides; & quæ tela improuisò exorsa ciuilium bellorum. quæ si pertexitur, & nisi stamen eius ac subtemen pax aliqua abrumpat, stare mihi diutius non licitum in hoc loco. Quomodo enim? exposito cottidie non rapinis solùm militum, sed iniuriis. quorum quàm libera licentia sit, nosti. Heu vitæ legem! cui annexum, angi & dolere in omni sorte. Itaque agellos istos mente iam desero, & specto Grudios vestros. non planè inuitus, fateor, cùm te cogito & Canterum nostrum: quem tamen audio & doleo in lento esse morbo. Quid autem? tabes ea est & marcor? an quis alius languor? De illâ, visus mihi dicere medicus Gemma. Quod Musæ tamen prohibeant; & diurnare*

paullo magis in terris velint Parnassium hunc alumnum. Sed caussa morbi quæ? studia, an curæ?

* Τίκτουσι γάρ τοι καὶ νόσους δυσθυμίαι.

* Morbos enim producere & curæ solent.

ait Tragicus. De studiis magis credo: quæ calidè ille nimis habuit & intentè. Numquam vidi tam indefessum ingenium, & laboris huius Musici aut appetens magis aut ferens. Semper ille in libris, chartis; noctu, diu, assiduus, accubuus: nec dies solùm omnes appensi & numerati ad hanc curam, sed horæ. quas singulas ad clepsydram diuidere, & attribuere ille solitus huic lectioni aut huic scriptioni. De Plinio suo scribit & iactat alter Plinius? atqui torpor ille hominis & desidia mera, si cum hac assiduitate comparetur. Nos, mi Valeri, remissiores: & si per hanc viam mors, sum immortalis. Vis scire quàm ignauiter cessem? Tot protela admonitionum tuarum nondum effecère, vt vel manum admouerim Commentario Corneliano. Ita subiit me ignauiæ huius dulcedo: &, quod illeipse Cornelius ait,* inuisam primò desidiam, nunc amo. *Mutabor fortasse cum loco. Tuus certè non sermo solùm excitabit me, sed vultus. quem iure vereor & veneror, ductorem doctoremq. meum in meliore hoc animi cultu. Vale. In Iscano meo. a. d.* XII. *Kal. Decembr.* ∞. IↃ. LXXV.

* Epist. v. lib. III.

repetitione [handwritten marginal note]

EPIST. II. Brugas.

VICTORI GISELINO S. D.

RARAS *à te litteras, mi Victor, accipio: sed certè caras, stillantes mero melle & amore. Vellem vtrumque. vt & diligentiam tuam amare possem, & affectum. At principium tuum vanum de abitu meo Coloniam. Vn-*

niam. Vnde hoc autem? ab amico aliquo, an à famâ? Non enim à me certè, aut meis litteris: nec vnquam mihi fuit in mentem. Apage illud scelus (ita loquor) vt pedem hac prouinciâ efferam, non visis vobis. Et sanè paullùm modò hic morbus perseuerasset, veniebam ad te non solùm corporis sed animi medicum mei. Nunc, cum deo fauente, reualui, & gallum debeo Æsculapio tuo. O diecula illa, quam vnâ mecum exoptas, quando exorieris? quando te & Lernutium in Iscano isto complectar & fruar? quando in pergulâ illâ ad Lunæ lumen garriemus, viuemus, imò & bibemus? DI *amicitiæ præsides, repræsentate mihi hoc votum. Festino enim. quia vt cogi nubes has video, breui dabunt tempestatem. Circa nos militares globi: qui vereor non vt interpellent, sed pellant. O locum hunc beatum, absque metu isto sit! A Samboco herè ad me litteræ, sanequàm amicæ. Humanissimum virum coràm repperi, non pro opinione meâ (tecum hoc sit) litteratum. Ita in his quoque rebus ludit & illudit illud siue Fatum siue Fortuna: & quidam merentur famam, quidam habent. Inter illos, in eâdem Germaniâ Andream Ellingerum noui,* [redacted] *Et nos quid speremus, aut laboremus? Dormitamus potius, aut cucurbitas pingamus. Quorum alterum ego quidem iam facio. Scripsi enim hæc ipsa ad lychnum, labente manu, premente somno. In Iscano meo.* III. *Non. Octob.* CIↃ. IↃ. LXXVI.

EPIST. III. Lugdunum Bat.

Iano Dousae amicissimo.
salutem mitto.

Ecquid nunc tandem tibi narrem, mi Dousa? in [illegible] [illegible] in sermonibus [illegible] [illegible] amicum [illegible] [illegible] nostro, quàm [illegible], quàm [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] & [illegible] hoc scriptum. [illegible] enim [illegible] nec [illegible] sine [illegible] [illegible] scripseram animo, quem [illegible] [illegible] ad te scriptum. Non [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible]:

[illegible] [illegible] [illegible] discrepant:

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quod legi [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Non [illegible] ipsa [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible]. De [illegible] [illegible] [illegible] quod [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] si [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

EPIST. IV. Vbios.

GERARTO FALKENBVRGIO S. D.

MVNVS vestrum accepi egregium, mi Falkenburgi, imò regium. Et cur non, vestrum? ego scio Redigerum caput huic dono fuisse, te pedem. nec tam beniuolo conciliatori minus debere me fateor, quàm datori. Animus enim est, quem in his talibus specto: nec pretium iis vnquam à se facio, sed ab adfectu. qui in te certè maior. Aurum autem ipsum, quid nisi splendens quædam terra & nitidius paullò lutum? Iudicium tuum de libellis nostris mihi gratum. sed vtinam iudicium! siue tamen amor, is quoque gratus, quia magnus: nec aliter vnquam tam rectam certamque mentem cogeret in errorem. De lapsu memoriæ quod submones, verum est: corrigam libens. Quod autem his & ad Pulmannum litteris iteras & pungis de seruitute: audi quæso liberè & diffusiùs paullò meum sensum. Ego qui status patriæ huius sit, nec ignoro mi Falkenburgi, nec nego. (aspera in eo multa fateor, intenta, rigida, præter mores, præterque leges.) sed hoc quoque scio, qui meus. Apud me ecce & in rusculo meo viuo: cur angar, quid Cotta aliquis aut Carus moliantur in aulâ? Vim aliis inferunt? nondum mihi. opes delibant aut diripiunt? pereunt eædem absenti. Ad impium aliquid adigunt? numquam. Mentem enim istam liberam quis tyrannus mihi artat? internam sententiam quis cogit? cultum metumque diuinum è pectore isto quis eripit? Et si velint: ecce sacram ancoram,

*Τίς ἐστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;

Hoc enim firmum aduersus externa omnia telum, non timere propter

* Quis seruus est, perire modò qui non timet?

re propter quod timentur. Sic Socrates adfectus, qui Athenas non deseruit, infessas non uno sed triginta tyrannis: sic Seneca, qui sub Nerone, imò cum Nerone vixit: sic Heluidius, sic Thraseas, & magna illa sapientum manus. Me cur in alia vocas? Animo diffidis, aut annis? noli. Ego enim mi Falkenburgi in iuuenili hoc pectore sic adfectus, vt deum, virtutem, & me constanter colam: non aduler imperantibus, sed nec irritem: & cum Corneliano illo * *Lepido,* inter abruptam contumaciam & deforme obsequium, pergam iter ambitione ac periculis vacuum. *Periculis inquam; quorum non ego (humanitus quantum licet) occasio aut caussa. Quòd si aliunde & ab externâ vi ingruant, quomodo aut vbi excludam? Non Vbij vestri ab iis me liberent, non liberæ omnes Imperij vrbes. Sed reuerâ (dicendum est) peccamus multi in hanc partem. prouocamus pericula, & lacessimus sæpe imperantes vanâ quâdam specie aut superba libertatis, aut incautæ pietatis. Modestia autem est quæ deo placita, & his qui dij in terris. Reges vt fulmina esse didici: dura frangere, mollibus plerumque illæsis. Itaque hæc tempora, vt nimbum, habeo: donec desæuierint, latito & me tego. Nec nimium tamen de sæuitiâ illorum queror: quia scio exoriri posse deteriora. Rusticulus ille mihi in mente, qui diu de Antigono rege viuo questus, cùm obiisset successore peiore: terram laboriosè inuertens & votorum iam pœnitens,* Antigonum, *inquit,* refodio. *Faxit & ille deus, vt hic turbæ nostræ stent, neu breui procellæ ingruant sæuiores. Sed hæc magis seria fortasse quàm pro epistolâ. occasio tamen iis ex iteratâ tuâ accusatiunculâ: & gaudebo, si consilij mei ratio proba iam apud te probum. Talem enim non minùs repperi, quàm amicum mihi. qui vt esse per-*

* De cuius cautâ prudentiâ apud Tacitum, Annal. IV.

esse perseueres, rogo. Ad Redigerum ipsum scripsi seorsim. In Iscano meo, Kalend. Sextilibus. Anno ∞. IↃ. LXXV.

EPIST. V. Viennæ.

STEPHANO PIGHIO.

FIDEM *meam culpas? audi. Prandium mihi hodie apud heroëm nostrum (non enim virum dixerim) Busbequium. post prandium, longiuscula etiam fabulæ (sed de litteris) vt apud illum solet. Hæc res diem mihi abstulit, & me tibi. Ignosce, & iam cognosce. Nam de Prætorum lictoribus, liticulæ nescio quid adfero ad te nostrum Prætorem. Vulgus & auctoritas veterum sex eos facit. loca & testes tibi noti. At duos fuisse tantum, lex vetus mihi ingerit, apud Censorinum ista.* Prætor vrbanus qui nunc est, quique posthac fuerit, duos lictores apud se habeto. vsque supremam ius inter ciues dicito. *Cauillari poteram & effugere, tanquam minimum duos lictores lex esse vellet, de pluribus non vetaret: sed ligauit iterum meus Plautus: apud quem in Epidico clarus ab hac re iocus,*

At enim vnum a Præturâ tuâ Epidice abest. EP. quidnam? THE. scies.
Lictores duo, duo viminei fasces virgarum.

Inter ornamenta ecce Prætoria disertim duos lictores numerat, duosque fasces. Hac reprehensione huc ibam: vt censerem Plauti & veteri illo æuo haud plus duos sane fuisse, at numerum postea auxisse, splendoris maioris caussâ. Sed hoc quoque diuerticulum interclusit mihi importune tuus Valerius: in quo lib. I. cap. I. lego de Furio Bibaculo: Prætor sex lictoribus præcedentibus arma ancilia tulit.

quod fa-

quod factum nota tua Chronicæ referunt in annum vrbis DXVI: *idest, ante adultum Plautinum æuum. An Prætori vrbano & peregrino si fortè bini tantùm: aliis extra vrbem, & ad auctoritatem apud subditos, plures? Iuua, iuua: angor ego & resisto. Præmium tibi operæ, cænula cras apud me in diuersorio noto. sed eâ lege, vt ambulatiunculа præcedat ad siluulam nostram Querquetulanam. Salue à tuo Lipsio, & dormi. Viennæ, Idibus Iuniis* ∞. Iɔ. LXXII.

EPIST. VI. In Pictones.

[redacted]

Q[redacted]

[redacted]

[redacted] VI. [redacted]

* Leue donum, sapienti pro multis laboribus dicere laudes.

EPIST. VII. Lutetiam.

PETRO PYTHOEO I C. S. D.

PLANTINO *nostro elapso ex Troiano casu, id est incendio suæ urbis, & ad vos abeunte: iure mihi amplectenda occasio fuit, mi Pythœe, compellandi tui. quem iamdiu (vere tibi, & in os dicam) inter paucos Gallos amo & admiror. Ignotum, fateor: sed à vultu, non ab animo. quem politissimum exosculatus sum sæpe in tuis scriptis. Nec blanditiæ apud te sunt. testabuntur id publicè Epistolicæ meæ, per hunc tumultum ausæ adspicere lucem: in quibus, si erit tanti, reperies cum beniuolentiâ memoriam tui. Te pariter quæso, vti hunc eundem adfectum erga me aut sumas, aut retineas: &, vt planè plenèque me bees, mutuis eum litteris foueas atque alas. Litteris, non rerum grauium, aut de arcanis regum (quid ad me ista?) sed quæ alucinentur liberè & vage per studia nostra: quid tu, quid Scaliger, quid alij vestri Galli meditentur, eiusdem nobiscum Musæ. Vale, & me ama. quod valdè facturum te scio, si scias quàm valdè ego te. Fratri tuo Francisco,*

lectissimi ingenij iuueni à me salutem dicito. Louanij XVI. *Kal. Februar.* ∞. IϽ. LXXVII.

EPIST. VIII. Bruxellam.

GVLIELMO BREVGELIO REGIO CONSILIARIO, cognato meo S. D.

MAGNVM, *sed amicum mihi dissidium tecum est, de agro deque vrbe. Tu istam præfers, ego illum: & rationes mihi, nisi fallor, magis firmæ. Quas quoniam herè inter differendum leuiter libauimus, visne hac epistolâ (otium enim & libentia mihi) promam accuratiùs & diducam tibi per partes? Scio velle. aurium tantùm, vt sic dicam, vacuas ædes mihi aperi: & admitte, sodes, peregrinantem veritatem. Agrum & in eo cultum, meliorem Vrbe esse aio, ad Sapientiam, ad Mores, ad Voluptatem: addo & Fructum. De Sapientiâ: non negabis, quin illic aptior ad eam animus, vbi is liberior & magis sui iuris. talis autem in agris est. Opida vise & adi: non effugies, quin vnà tumultus, procellas, turbas. Circumstrepent enim te subitò res hominesque: & negotium tibi non solùm tua negotia facient, sed aliena. Vt difficile est in conuiuio lauto & opiparo solum esse siccum & sobrium: sic vacuum, inter tot occupatos. Ille ad sponsionem te trahet & ad forum: ad nuptias alius & ad templum. In ipsâ viâ clamores alibi & lites: pugna nonnullibi & arma, & mox iudex, lictor, carcer. Domum ipsam tuam cùm veneris: nè in secretum venisse te cense aut penetrale. Irrumpent ecce salutatores, inuisores, & nomine amicorum quidam fabulas imò epulas captantes.*

captantes. Hos nullum limen submouet, nullum velum: & per omnes rimas inuolant importunæ illæ muscæ. Inter ista & inter istos, quis libris liber locus? quis cogitationibus? sine quibus an vlla legitima ad Sapientiam exercitatio, aut via sit, haud cerno. Et tamen fac te felicem aut fortem: otium aliquod in ipsâ vrbe diu luctatus tibi vindices: nego id liberum, firmum, aut aptum animo vegetando. Spernit enim naturâ suâ inclusi cælestis ille ignis, & aërem amat ac campos. Vt generosas feras cauea domat & frangit: sic altas mentes vrbicus ille carcer. Equum ad cursum apertus & liber circus prouocat: animum ad studia, vagans vacansque aura. Siluam illam viridem videt? hîc carmen auet aut hymnum deo pangere. Horti illum purpuram? hîc cum libellis suis decumbere. Aquæ illud murmur? ad eam altiori cogitatione abiici. Et nocte ipsâ aut sub eam, pictum illud patensque cælum eum capiet: & inter tot stellas errantes, aut inerrantes, à curis terrisque erro, mente scandet super illas. Adde quòd hîc altum securumque otium: nemo qui appellet, aut interpellet: & amicissima semper studiis, solitudo & quies. Vides igitur quæ in hac parte ager ante vrbem habeat: nec vane à Columella scriptum, Vitam rusticam proximam & quasi consanguineam sapientiæ esse. *Quòd si nunc ad Vitam me vocas & ad Mores: bonâ fide, vtrubi, te quoque iudice, illa innocentior, & hi puriores? veritas tibi exprimet quòd in agris. Oculos paullisper coniice in magna illa & commerciis crebra opida: mentior, nisi ambigas cœtus illic hominum, an congluges vitiorum. Adfert enim seorsum quisque suas culpas: quas mixti vulgant, & velut contage, tradunt inuicem capiuntque morbos animorum. Quin vt flumina per se dulcia, cùm in mare venerint, salescunt: sic*

cunt: sic homines haud mali, ex agris in vrbem redacti, tactu inquinantur & mixtione. Illic enim ambitio, auaritia, libido propriè habitant: & fons omnium vitiorum, depudere. cui origo, non negabis, ex crebro illo inter se adspectu occursuque. Itaque prudentes olim legislatores & qui semina iecère boni status, ciues suos plurimùm ab vrbe & conuentibus abductos, habere voluerunt in agris: quos ad probitatem, modestiam, robur, gymnasium censuère & palæstram. Romulus ille æterni auctor imperij, in duas classes cùm ciuem diuisisset, Seruos ac Liberos: istis duo tantùm studia Militiæ & Agri dedit; illis artes reliquas, quæ ad Mercurium & ad lucrum. Ita enim est. mercatura & quidquid artium ad opes ducit, ducit ad vitia: nec animum solùm emollit & effœminat (verè Sallustio dictum) sed corpus. Quis vires & viros vnquam in opidis quæsiuit, aut inuênit? adeò vetus illud verum in omni gente & æuo est,
Optimum militem legi ex agris. *Parthi olim belli potentes: sed sparsi in agris. Scythæ: sed in tuguriis oberrantes. Germani: sed priusquam vrbes coluissent. Turcæ hodie: sed minimùm dediti in amœnitatibus opidorum. Quin illud ipsum Genitserorum agmen, iure terror orbis, non ex agris solùm, sed pænè dicam haris collectum, & mapalibus pastorum. Nam Romanos tibi quid ingeram? Curios & Fabricios nosti serentes, occantes: Quinctios arantes, & Dictaturam induentes: & vno verbo, non milites solùm ab agris, sed duces. De Moribus ergo vides. qui si vsquam etiam hodie prisci integrique quærendi sint, vestigia reperias in agris. vbi apud se quisque: & ideò pudor, innocentia, simplicitas manet, & vita malarum fraudium artiumque expers. Sed quid possim in hac parte magis verè, magis amplius*

ampliter dicere, quàm Hippolytus ille apud Senecam? quem, quæso te, audi.

Non alia magis est libera & vitio carens
Ritusque melius vita quæ priscos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus campos amat.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens inuidia, non fragilis fauor,
Non ille regno seruit, aut regno imminet,
Spei metusque liber.

& adde plura pulcherrimi cothurni, quæ omitto. Ad Voluptatem enim transeo: quæ tamen hic tam obuia, vt indigner super eâ moueri mihi litem. Elementa omnia intueor? vim suam vsumque palàm & toto, vt ita loquar, sinu in hoc rure nostro effundunt: obscurè & parciter in tuâ vrbe. Solem vide: melius hîc nitet. Aërem: lætius latiusque diffunditur & ridet. Aquas: purius bibuntur. Terram: hîc tantùm cernitur in vero suo vultu. Alibi in planiciem effusè porrigitur: alibi in collem placidè adsurgit, aut magis rigidè in montem. Illic herbis & sponte natis arbustis vestitur: hîc fruge fructibúsque, & feliciore ligno. Quem non delectet tam varius adspectus & cultus magnæ matris? cuius apud vos vna facies ædibus pressa aut pauimentis. Iam domum si venisti, hîc prorsus gaudiorum & amœnitatis vera sedes. Manè surrexisti? ad musicam quidem. & circumsonant te ac velut salutant chori illi alitum, suauiter fritillantium, trutilantium, minurientium. ad quos non æquiparent se tibiæ, citharæ, aut ex arte villi cantus. In hortum prospexisti? oculorum aciem tibi præstringet illa ipsâ nocte exortum agmen florum & herbarum. In pratum? oc-

current Vere nouo arbores odorâ quâdam & canâ niue perspersæ: eædemque sub Autumnum, aliâ pomorum purpurâ sue cerâ distinctæ. Propiùs easdem adspice. insitiones mirabere & matrimonia: adulteria etiam, & suppositos fœtus, insciâ matre nec inuitâ. Quam lasciuam comprehensionem fœcunditatemque quisquis in ligno non miratur, ipse profectò lignum. Iam ad agros deuertisti & tua rura? illic boues lente pascuntur & oberrant, hic pecudes magis vagè lasciuiunt & hœdi. Porcus alibi volutatur & grunnit: alibi cristata cohors cucurrit & scalpit. Segetes illic tuas vides, & siliginis, farris, hordei vberes fasces: siluam istic, & ad hiemem lignorum strues. Vitem denique alibi florentem aut maturescentem: & spe iam præbibis sacrum illum alibilemque liquorem. Quorum omnium quæ copia in vrbe sit? quin ne imago quidem satis certa & expressa. Sed vt ij qui parietem intuentur, ex leui linearum ductu, animalia in eo & facies sibi fingunt: sic vos harum rerum futiles quasdam vmbras. Ita viuitis in pulcherrimo hoc mundo, mundi exsules: nec bona aut dona eius plenè vnquam nostis. Postremùm Fructus mihi superest. de quo quid ambigimus? cùm non solùm cultus & ornatus plerusque vitæ ab agris sit, sed vita ipsa. Agricultio enim moriatur: & vnà humanum genus. Adde illa commoda. agnum aut hœdum à stabulo, pullum è corte, porcum ab harâ, & tot dapes inemptas: quas vos ægrè & carè præstinatis à foro aut macello. Quòd si opes omnino quæris & aurum: rideo ego & sperno. & tamen si quis hæc quoque ambiat, non alibi parandorum vberior materia & seges. Non palatia, non fora, non fœnora plures ad opes euexêre: quàm beati isti agri. & addo rei caput, quòd tutò euexêre, quòd citò, quòd innocenter.

vox galli[illegible]

nocenter. Thales ille olim anno vno diuitias amplas corrogare potuit, emptu prospero omnium oliuarum: & viro prouido sapientique non hodie idem fas, in segete, pecude, silua? Sed de his quia non libenter, nec ampliter quidem dissero: & mitto te, si voles, ad veteres rei rusticæ scriptores, à quibus disciplinam eam petas. Nam ego fastidio. sicut & illud, quod crebrò ac pertinaciter mihi obiicis de dignitate. Dignitatem ea mansio non habet, inquis: imò nec pietatem, quia patriam is desertum. Dignitatem? me iudice, amplam: qui Reges & Principes fuisse scio in hac parte. An illud dignius, in foro latrare, tribunal siue aulam lambere, fastum in æquales, adulationem in superiores exercêre: quàm Sapientiæ sacrum colere, Naturæ opes lustrare & promere, denique placidè viuere, placidè mori? Nam de patriâ, quid ais? In hac confusione rerum ad clauum ego sedeam: vbi nemo auditurus, non nemo etiam irrisurus rectè gubernantem sit? Sæculum hoc paullisper vide. quo noxæ integritas, contumeliæ pudor, ludibrio fides est: & aude suadere vt iis præsim, quibus, hoc ipsum (penè dicam) ægrè mihi est, quòd intersim. Concludens voueo, vt procul ab vndoso illo vrbium mari, in hoc tranquillo & rurestri portu quiescam & consenescam: vbi deum inprimis piè pureque venerer, deinde Sapientiæ studia & Musarum tractem; & quidquid propriè ad vsum aut cultum animorum. Vbi classica nulla aut tubas audiam, vbi coruos aulæ aut fori non videam: sed modestè tranquilleque mihi & mecum victitem, expers ambitionis & pallentium curarum. Cúmque vltimus ille & decretorius dies venerit, spiritum hunc, sine metu, sine motu, emittam: & apud notos ignotósque memoriam mei relinquam bonam potius, quàm magnam. Habes quæ

bes quæ pro agro, in agro scripsi. quæ si approbas, tandem etiam hoc institutum meum: neu vltrà commouendum me cense ex beatâ istâ sede. Ita Deus beatum aliquando te faciat, cum vxore liberisque: quos saluto. In Iscano meo III. *Kal. Octobreis,* CIƆ. IƆ. LXXV.

Carmen ecce etiam adiunxi, quod eidem argumento, calore isto effudi.

LAVS ET VOTVM
VITAE BEATAE.

ILLE est par superis deis,
Et mortalibus altior,
Qui fati ambiguum diem
Non optat leuis, aut timet.
Quem non ambitio impotens
Non spes sollicitat lucri:
Quem non concutiunt metu
Regum præcipites minæ,
Non telum implacidi Iouis.
Vno sed stabilis loco,
Vulgi ridet inania:
Securoque oritur dies,
Securo cadit & dies.
Vitam si liceat mihi
Formare arbitriis meis:
Non fasces cupiam aut opes,
Non clarus niueis equis
Captiua agmina traxerim:
In solis habitem locis,
Hortos possideam atque agros,

Illic ad

Illic ad ſtrepitus aquæ
Muſarum ſtudiis fruar.
Sic cùm fata mihi vltima
Pernêrit Lacheſis mea;
Non vlli grauis aut malus,
Qualis Langius hic meus,
Tranquillus moriar ſenex.

EPIST. IX.

VICT. GISELINO.

LEGI *tuas, ad os appreſſi & ad pectus. O quæ penna tibi me ſiſtat! Ego ille conſtans deiicior vnâ cogitationis hac plagâ. Scripta mea deſideras & nugas: ego te, te. Sed quî agis? vt ex nuncio intelligo, perbellè. Gaudeo. nam timebam, ob ſubſtractum tibicinem Mouſſinum celeri caſu. Nos fluctuamus, vt qui maximè. ſunt qui ad Arma inclinant, ſunt qui ad Frenen. Aiunt & apud vos puncta eſſe pro iſtâ. Quidquid eſt aut erit, ego te non amo ſed pereo. De ſcriptis, ſcripſi ad Ocellum noſtrum. non inuidebit. Pridie Kal. Septemb.*

EPIST. X.

IANO LERNVTIO S. D.

HAFTIVS *apud nos eſt, ille cuius tu ſororem. Eum rogaui de te multa, & rettulit omnia quæ vellem, excepto ſilentio: quod cauſſam habeat neceſſe eſt vel ab obliuione noſtri, vel quod malo, ab inertiâ tuâ. Et quis inſolitus hic torpor? Tu ille qui laceſſere me ſoles, taces*

 ad meas

ad meas binas? Omnia mutantur, *ait ille: non enim addam vel ominis caussâ, mutari amores. melius de te sentio. & tamen si amorem non deseris, non etiam debebas officia amoris. An etiam nunc te angit nupera mea fuga? Peccas: & emenda hanc culpam, vt in amicitiâ sis sine mendâ. Amicum nostrum audio adscitum in aulam, & in medicum Ducis. Gratulor: & magis, siquid is titulus ad Plautinam aulam. Nam si nomen tantum, & nihil ab eo vncti: sperno. Nos hic in alto otio (Nemesis non audiat:) & te isthuc inuitare audemus vel habitandi caussâ. Multi certè vestrates oculos flectunt ad hunc portum. Plantinus ædes hic habet, Typographiam instituit. Quid multa? viuimus & vigemus. Tu vicissim, quid valeas, quid facias, cum Victore, cum vxore, cum amicis, nisi significas: scito seriò me: sed deleo. nec cadat in amorem nostrum vnquam hoc verbum. Vale. Lugduni Batauor. Pridie Idus Septemb.* ∞. IƆ. LXXXII.

EPIST. XI.

IANO GVLIELMIO LVBECENSI S. D.

ADFIRMO *tibi Iane Gulielmi: pauca munera iamdiu gratiora mihi fuisse, & animo tuo, & versibus, quorum vtrumque tam benignè offers. Ille enim amoris plenissimus, isti elegantiæ: & cogor (nisi ab ingenio meo abeam) valdè redamare illum, istos æstimare.* Hoc magis, *quòd vltrò prouocas, quòd ignotum, quòd immerentem. Nam quòd beneficia quædam mea in publicum profers & prætexis: desine. hoc ipso video quàm me ames, qui non admodum laudanda laudes, & per adfectum recedis à certissimâ iudi-*

mâ iudicij tui normâ. Itaque hoc ex fide tibi respondeo. vicissim amari te à me, vero honestoque adfectu: quem dies ipsa augebit & accendet. ea est eritque tua virtus. Lugduni Batauor. III. Eidus Sextil. ∞. Iↄ. LXXX.

EPIST. XII. Gandam.

ALEXANDRO RATLONI S. D.

RARÒ *scribis. sed nescio an ideò litteræ tuæ desiderio ipso cariores. His quidem postremis fateor me non voluptate solùm perfusum, sed gaudio: si verbo eo vti nobis fas in tristitiâ hac rerum. Nam de Antuerpiâ, quæ monstra audimus? Deus bone, huccine tandem erupisse tot mensium consilia malè sana, malè cocta? O factum à regio iuuene minimè regium! Etsi nobis adhuc tenebræ, nec de re totâ satis certis nec de caussâ. Cuiúsne fraus siue error? an vulgi consternatio & furor? Quiduis enim potius, quàm vt perfidiæ noua hæc macula inuratur laudatissimæ olim optimæque genti. Sed hæc publica videbit publicus ille Rector. Tu in re tuâ quid? etiámne fluctuas? sic appâret. atqui statuendum semel aliquid est, cui firmiter inhærescas. Mutatio quidem hæc crebra, & desultorium, vt sic dicam, genus vitæ, non ex vsu tuo, non ex famâ. Pessimæ, & Græcorum quoque prouerbio damnatæ sunt, nutantes &* * δίχω-λοι *illæ γνῶμαι. Litteraria hæc vita & otiosa tranquillitas, quid non habet commodi? Non externa illa fortasse. sed nec terra quæ aurum aut argentum gignit, res alias producit: nec animus, qui se colit & virtutem. Cetera, ille ferè sterilis. Quid tamen præferas huic vni? cui honos, cui salus comes, cui externa & interna quies. Militiam gustasti:*

* Vtroque claudicantes sententiæ.

& vides quàm non ea suauis. Itaque, mi Ratlo, huc redi: & si me audis, in Musæo hoc portu nauim tuam defige & liga semel sacro morsu. Ad circumfusa illa & vana bona si abis, quis finis? iactabere, & natabis semper inter cupidinum nouos fluctus. Non enim ratio, sed opinio tibi illas ingeret: cui insitum, variare & pænitere. Ut chamæleon, quoniam aurâ (vt aiunt) non cibo vescitur, hianti semper est ore: sic illi cupidine, quos ventus inflauit vulgarium opinionum. Hoc volunt, hoc nolunt: hoc hodie spernunt, cras appetunt. &, vt resculæ, quæ fluminibus innatant, temerè impinguntur in hanc illámve partem. Hinc perpes illud tædium in nobis, & velut nausea omnium rerum. damnamus parentum & nostra vota, & tam cupidè quæsita quædam deserimus, quàm antè quærebamus.

Certa amittimus, incerta appetimus; atque hoc euenit

In labore atq. in dolore vt mors obrepat interim.

exclamat verè meus vates. Ecce ille ad aulam adspirat, & intrauit? rursum fastidit, & beatos censet qui latent. Alius priuatim victitat? ægrescit, & inuidet purpuratis. parique leuitate togati ad sagum properant; & hi rursum ad togam. Et quis non de Lachesi suâ queritur? reges ipsi de suo regno. At tu inter eos esto, quos Ratio, quos Sapientia firmauit: nec circumagere mihi vulgarium iudiciorum omni vento. Ut Ulysses ille donec Leucothea velum ei supposuit, natat nigrum pontum: sic tu hoc vitæ salum, donec pectus tibi præcinxerit candida illa diua. Constantiam dico. quam, audi, admitte, serua.

* Ἡ δ' ἐμοὶ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

* Hoc mihi ex animo visum optimũ consilium.

Vale. Lugduni Batauor. x.*Kal. Octob.* ∞. IƆ. LXXXIII.

EPIST.

EPIST. XIII. Brugas.

IANO LERNVTIO
meo salutem mitto:

QVAM *recepi iam ipse. Hinc enim iure ordior: & gaudere te iubeo, mi Lernuti; quia à molestissimo morbo reualui; imò reuixi. Ad fauces Orci destitutus mihi hos menses fuisse videor: ita me oppressiunculæ & obstructiunculæ illæ internæ pessimis adfecerant modis. Et audésne credere? non leue momentum ad valetudinem meam habuerunt & litteræ tuæ, & carmen: illæ amicissimæ, hoc scitissimum. nec fuerit vnquam vt tam piæ, tam disertæ preces non audiuerit illa Dea, cuius sedem ipse in Fortunatis insulis ponis. Quæ autem illa tam auida Parca, quæ vincula inter nos abrumpere non pareat sanctissimi amoris? Quin audi me, & securus animi es:*

Dî me tuentur, dis pietas mea
Curæ est: ——

& porrò, vt spero, erit. Turbæ apud nos ingrauascunt, abiectâ spe pacis. quæ vereor, vereor autem? imò spero, vti breui eiiciant me ad vos. procul enim futuri videmini ab hoc belli nimbo: qui imminet prorsum capitibus nostris. Sed quid ais? Dousáne nuper apud vos? nec ad me? ô factum ab amico non amicum! Quod dixerit, subita res fuit, necessarius reditus: nihil audio. nuncia illi à me sodes, sexcentis versibus non luet hanc culpam. In Statium aliquid meditari te suadet mihi noster Modius. vix persuadet. cur enim celes? & quidem cum tuo damno. Nam & mihi notata quædam ad sublimem illum & celsum poëtam (ita censeo & appello,

appello, non hercle tumidum:) & libri apud nos veteres, qui te iuuent. Innue, mittam. Epistolicæ nostræ nondum emissæ. sed vix eas teneo; ita ituriunt. De quibus quid iudicaturi sitis, timeo. Alia enim quædam à prioribus meis hæc scriptio. cui nitor ille abest, & luxuria, & Tulliani cincinni: pressa vbique, nec scio an quæsita nimis breuitas. Quæ me tamen nunc capit. Timanthem pictorem celebrant, quòd in eius operibus plus semper aliquid intelligeretur, quàm pingeretur: velim in meâ scriptione. [redacted] *Scaligeri ad Amorum illos* * *Triumuiros vidi, legi,* [redacted]*. In Propertio tamen traiectiones illas versuum crebras, mirari malim quàm imitari. Tu quoque non ita sentis? scio.* [redacted] *Quæsita Aldi per epistolam, & Fuluij De Nummis. Muretus noster Orationes pangit & edit, & dat se in floridum illum eloquentiæ campum. ad famam consultè, imò & ad quietem. Nam Criticæ istæ tricæ quàm non latè se spargunt? quàm laboriosè colliguntur, & scribuntur? In quibus nos tamen etiam, nescio quo fato an morbo, insanimus. Pergebam in hoc garritu. sed alius mihi in auribus garritus, nuntij ad excubias trahentis. Arma capio, pono stilum. Quid ais? satin' tuti Belgæ, hoc milite? Ite, dormite in vtramque aurem. Louanij. Idibus Iunijs.* ∞. D. LXXVII.

* Notas eius ad Catullum, Tibullum, Propertium.

2 EPIST.

EPIST. XIV. Louanium.

MART. ANTONIO DELRIO Consiliario Regio S. D.

MIRA *tua fides in me, mira pietas. amoris enim certè verbum leue est, in re quam rari pro fratre fratres audeant, pro liberis parentes. Me meaque absentis defendisti: & obiecisti te non molestiis solùm sed periculis, in hac flammâ rerum. Venisti vltrò ad meos, erexisti, securos esse iussisti: hoc tantùm questus, quòd non indicassent. Itaque quòd res opesque meæ saluæ, quòd scripta & libelli (id est, vita ipsa:) beneficium est vnius tuum. Quid scribam? gratias agere me? ne concipio quidem: & affecisti me in summo beneficio vnâ hac iniuriâ, (quod olim ingeniosè ille ad Cæsarem) vt viuendum & moriendum mihi sit ingrato. Gaudere me tantùm nuncio, meâ causâ, tuâ, sæculi. Meâ, cui is amicus obtigit, tuâ, cui ea virtus, sæculi, cui hoc exemplum. Mea salus salue. Antuerpiæ a. d.* IV. *Non. Mart.* CIↃ. IↃ. LXXVIII.

EPIST. XV. Vltraiectum.

IANO DOVSAE meo S. D.

SILENTIVM *tuum mihi, Dousa, molestum: absentia multo magis. Vbi autem fides? intra dies octo exspectari volebas te, menses ecce labuntur. Statueras hoc iam antea? an quid interuênit? an placent tibi nouitij isti & fallaces mores? An potius vxoris partio te detinet? quæ genuit tibi (ita audio) decumam iam prolem. Macte hac fortitudine*

titudine dicam, an fortunâ? vtrâque ceı tè opus, nec minus hîc, quàm in agricultu, Labori & Euentui litandum. Sed tibi quidem propitius vterque deus: & gloria Masanissæ te manet, si sic pergis. Vide tamen ne dum assiduus nimis in illis vallibus, desertum eâs nostros montes. Suspiror: & iure. Vt quid enim procaces illæ anteà Musæ tuæ tamdiu silent? cur tribus his mensibus gutta nulla nos irrigauit poëtici tui humoris? Emenda: & hîc & ibi vir esto. Libelli etiam tui addicti Plantino, vbi sunt? Solue sodes, aut Prætorem exspecta & suspensum capiti tuo libellum. Non enim differo, non protollo. Induciem Francofurto en habes, sed sterilem bonarum rerum: & nihil nundinæ istæ ad Phœbum. Melleri tamen Spicilegia edita, acutissimi ingenij iuuenis: vtinam rectissimi, vere addam! Sed profectò aut fallor in hac omni litteraturâ: aut ille valdè in censendo, & scribendo. Quales pleraque eæ coniecturæ? quàm non callidæ solùm, sed calidæ? imò quàm audaces? Mihi crede, corrumpendis ista, siue perdendis potius libris litterisque sunt: si dimanat hæc labes. Et dimanabit. ita iuuentutem hanc video: & tantum ingenij specie blanditur hic calor. Iam stilus ille quis? doctus, antiquus, arcanus, inquies. Scio. sed quo tam doctus, antiquus, arcanus? Ego ille ipse qui aliquid hic capere me puto & sapere, sæpe quæro aut non video eius mentem. Quæso, mittamus tenuem nimis subtilemque hunc colorem & Apellæas, vt sic dicam, lineas: & Venus nostra inspiciatur etiam à vulgo. Vt nihil minus expedit, quàm agrum optimè colere, (aiebant veteres:) sic censuerim de stilo. Nimis ornas? fucus & adfectatio apparet. Nimis attenuas? tenebræ & squallor. Modus autem in omni re optimus: etiam in epistolâ. quam finio, & te saluere

te saluere iubeo noue Hercules [redacted], [redacted] *matrum. Lugduni nostræ, a. d.* III. *Nonarum Aprilium.* ∞. Iↄ. LXXX.

EPIST. XVI. Vltraiectum.

EVERARDO POLLIONI meo S. D.

A MEA *enim velut manu es, à domo, & à disciplinâ. Vt statuarium opus suum delectat, si laudabile: sic in te iure mihi placeam, si tu bonis. Quod futurum omnino est, mi Pollio: si non audies solùm præcepta quæ crebrò dedimus, sed obaudies: eaque admissa in hoc pectus, re exprimes & factis. Ad virtutem ante omnia te hortamur: cui litteras istas seruire volumus, magnum vel in parandâ eâ adiumentum, vel paratâ ornamentum. Non enim solùm pulchrior comptiorque per doctrinam virtus, sed fortior: nec colorem modò ab illâ ducit, sed sanguinem & robur. Egregiè noster Seneca:* Etsi magis refert nostrâ fortiores fieri, quàm doctiores: tamen alterum sine altero non fit. Non enim aliunde animo venit robur, quàm à bonis artibus, quàm à contemplatione naturæ. *Quod ita verum scito, si doctrinam non hanc mollem & amœnam solùm intelleges, quam* φιλολογίαν *haud malè appellamus: sed virilem illam magis & robustam, quæ in naturâ aut animo occupatur, quamque* φιλοσοφίαν *propriè indigetamus. Illa enim sola, tantùm abest vt tutum securumque te præstet inter hos vitæ fluctus: vt moueat sæpe excitetque in ambitioso animo cupidinum nouas tempestates. Itaque vt nautis solitarium Helenæ sidus non placet: non item mihi ista. Gemini illi sunt, qui cùm apparuêre,*

 tranquil-

tranquillitatem nautis nunciant: tibi hæc duo, si iunges. Quod voueo ex animo: & in firmâ hac spe saluere te iubeo carum mihi caput. Lugduni Batauor. III. Nonas Octob. ∞. IↃ. LXXXII.

EPIST. XVII. Delfos.

IANO GROTIO.

AT *tu quasi ad Collegium etiam scribis: cui vitam fuisse te nescis, & obiisse illud te abeunte. Certè à nuptialibus tuis facibus, funereæ accensæ sunt Musis & quicquid hic fuit Musicorum. Rem dico. solutus dudum ille cœtus: non tamen etiam vinculum amoris, quo inter nos ligati. Tu mihi sæpe in mente, raro in oculis: nec lepôrem & virtutem tuam deleuerit ex animo meo vlla dies. non magis quàm tuo litterarum studia exciderint, etsi callide id præ te fers; & negas agnoscere te Deas, idque carmine, quod agnoscant ipsæ deæ. Abi Socratice noster* εἴρων, *& apud tam fidum age ex fide. Tu Musas, te illæ amarunt, amant, amabunt: & cum illis ego. Carmen totum approbum: nec Critica illi à me nota. Rem ipsam & argumentum vt meliùs nôrim, curabo: & legam quæ scripsit Belgicus hic Euclides. Nos Pindaricus* ἀλέκτωρ *ille* νόσων *respicere cœpit in parte. vtinam diffusiore paullò vultu, vt sanitas apud me sit læta, plena, firma. Quam tibi, vxori, liberis (nónne rectè ita loquor?) opto. Lugduni Batauorum postrid. Kal. Sextil.*

EPIST.

EPIST. XVIII. Lutetiam.

AVGERIO GISLENO BVSBEQVIO
Cæsareo Legato S. D.

NOMEN *ipsum tuum in litteris ante legendum me adfecit, & lectio multo magis. Iudicium talis viri meritò magnum apud me est: & hæc tam prolixa beniuolentia, quam solo animo meruisse me scio. Nam rem quidem tu auges: & facis tam liberali beneficij interpretatione, vt vltrò obliger, & nouam gratiam debeam tibi. Quam vt prorsus soluam, ne exspecta. non est istarum virium, non item animi. qui magis magisque illigari tibi cupit, & numquam dependere, vt pendeat à te semper. Liuij variantes lectiones ex codice Puteani quas submittis, gratæ mihi: etiam vtiles spero, post perfectum Commentarium Cornelianum, in quo vnus nunc sum. Absoluto enim eo opere, libens sanè manum & limam adiecerim vberrimo historicorum. Permittit iam valetudo: quæ non paullò melior, post iter Antuerpiense & haustum auræ siccioris. Nam marina ista & palustris, nescio quomodo corpori huic non amica. Sed quis in Belgicâ alius angulus ad quietem? Itaque ferimus, & hîc hæremus: donec deo visum pacem huic Belgio reddere, & nobis veterem sedem. Quod, vt res sunt, vouemus potius quàm speramus. Amplissime & Nobilissime Vir salue, & inter cultores virtutis nominisque tui Lipsium non falsò cense. Lugduni Batauorum Non. Mart.* ∞. IↃ. LXXX.

EPIST. XIX. Hagam.

THEOD. LEEWIO Consiliario S. D.

IN silentio tuo, mi Leewi, mirabar, & (hanc enim libertatem amicitia mihi dat) indignabar. Sed indignatione tibi non ingratâ, cuius fons ab amore. Iniuriam mihi ferre videbar, quia priuabas me hoc alloquio: quod etiam in negotiis occupationibúsque meis vsurpo cum libentiâ & voluptate. Veluti hoc ipso tempore, quo Plantinus cum genero apud me est: & eripit mihi non inuito optimam diei partem. Ego tamen scribo. de re priuatâ, valere me non optimè, vt hoc anni labentis tempus fluxionibus meis ferè est infestum. De repub. nec multa nec bona. Hostis Ninouiam obsidere dicitur, & imminere meæ Bruxellæ. certè copias colligit circum illam. Galli lentè & frigidè agunt, nec pro ingenio gentis. Ita vides, mi Leewi, in longum trahi rem, & produci calamitates patriæ iam exhaustæ. Nec abiiciendus tamen animus. quem si ratio non adfectus subegit, ille est eritque in firmâ arce, quam nulli insultus, nulla vis perfringent. Sed opinio nobis hæc facit magna & metuenda, quæ ratione si examinas, leuia sunt. Bellum metuimus. ita enim accepimus à parentibus, ita à nutrice, ita à publicâ vulgi voce. Sed imponunt. Cur enim bellum malum? nempe quia vastitatem inducit, quia pauperiem, quia mortem. Atqui hæc ipsa mala non sunt, nisi malis. Quot viri boni beatíque paupertatem appetiere vltrò? Litteræ ipsæ diuinæ eam nobis conciliant, vt rectam ad cælos viam. Mors autem quid? metuenda viro? optanda potius: quia finis huius mise-

ius miseræ, & principium melioris vitæ. At enim hæc Philosophorum sunt, inquies, dictu pulchra, re & vsu asperrima. Imò, mi Leewi, communis hæc vox totius generis humani: quotiens abstersâ adfectuum illâ nube radius diuinæ mentis illucebit. Sic tu, sic ego loquemur inuiti, si rem pendemus ad veri iudicij lancem. Signum vis? Ecce pone mihi ex illo ipso corrupto & corruptore vulgo aliquem in morbo. spernet diuitias, spernet opes: sanitatem dumtaxat vouebit corporis & mentis. Scilicet seriò cogitare iam de se cœpit admotus ad extrema: & inanium obliuiscitur, cùm periclitatur de salute. Exsulant adfectus, cùm ratio redit: & erigit attollitque se animus, corpore iacente. Tamen sani redimus ad eadem omnia: quia litigium illud cum adfectibus fuit, non diuortium: nec proposito aliquantisper boni, sed metu sumus. Quare maneamus in hac viâ, quam instituimus, segregandi nos à vulgo: nec id sermone tantùm & velut in pompam fiat, sed reipsâ, & quod dicitur, Bonâ fide. Vacillamus, imò cadimus interdum? Surgamus, & citâ celeritate corrigamus, quod temporis ereptum lapsu. Viden' vt miles quoque, si cecidit, surgat alacrior, & animos irasque sumat à casu? Idem nobis sit, & constanter pergamus ad illum Tranquillitatis internæ portum, qui verè efficit beatos. Vale. Lugduni Batauorum III. Idus Nouemb. ∞. IↃ. LXXXII.

EPIST. XX. Brugas.

IANO LERNVTIO meo S. D.

DIMISI *nuper à me Oudermannum vestrum sine litteris, valdè præter meum votum. Sed mihi crede, ita distinebar, vt eius rei facultas mihi nulla. Nec nunc magna: (Plantinus enim apud me cum amicis est, quibus dies dandi penè toti:). tamen erigit & conari me iubet epistola tua, siqua alia, plena suauitatum. Vel illud de* SVAVIIS *tuis quàm mihi spirat! crede, quòd omnes Arabum diuitiæ, imò quòd illeipse halitus à suauiorum deâ. Tu tantùm perge, & damna me huius voti, vt citò teneam amplectarque libellum, & te in illo. Sed de titulo cur mutasti? Mihi simplicius suauiusque inscribi* SVAVIA *videbantur, quàm funereâ & atrâ voce* SECVNDI MANES. *An frontes seueras metuis, & consultum tibi is modestiâ inscriptionis? Frustrà. quatenus ego gustum sumpsi, pura illa basia tua: quæ & Catones capere possint, & dare ipsæ Vestales. Denique quousque scribimus istis? paucis nobis potius. & da quod in sinu tenêre Scaligeri possint & Turnebi. De Plantino, verum est. ædes hîc conduxit sanè amplas, & partem vacantem Typographiæ transferet istuc. Aliquid ea res fortasse me excitabit ad lucubrandum: cùm interesse editioni libellorum nostrorum licebit, imò præesse. Nam aliàs, & valetudo sæpe illud igneum, quod in nobis, retundit: & iudicia hæc multorum aut malesola, aut mal-sana. De Germaniâ quidem audistin'? Proscribere misellam Satyram nostram nuper voluêre & eiicere edicto extra imperij fines. O pisces, pisces! non hæc aqua,*

hæc aqua, in quâ vos natetis: & magis vobis facin[redacted] *ab Cithærone liquor, quàm hic ab Helicone. Sed feramus: & quoniam cœpimus, arêmus etiam hoc litus. De Venatione in manus iam sumpseram, & eram in secundo libro: reieci, & iterum daturus me videor in torporem. Catarrhi mei id faciunt, stati mihi sub hoc tempus & solemnes. A Scaligero nuper litteræ. edit De Emendatione temporum, & promittit breui exemplar. Vale mi anime, cum animâ tuâ, & cum iis qui ex felici vestro cœtu. Lugduni Bat.* III. *Id. Nouemb.* ∞. IƆ. LXXXI.

EPIST. XXI. Antuerpiam.

HIERON. BERCHEMIO IC.

NIMIVM *vrges, mi Berchemi, de Imitatione. nuper omnibus sermonibus, nunc epistolis hoc agis. Quid censes? aliquos thesauros mihi esse doctrinæ reconditæ? erras. siquid in hoc genere posse tibi videmur, magis à casu siue naturâ est, quàm ab arte. Et tamen quidquid illud est quod sequor, quod teneo; non vltrà celabitur. & proximâ epistolâ præcepta aperiam, ad quæ stilum meum fingo & conformo. Tu Mineruâ, sis, para doctori nouo.* [redacted]

[redacted] *De rep. quid scribam? manus mihi labat, & ingemisco. Carcer ille nouus tot Lentulorum quò erumpet? de quibus ambigua hîc fama. alij emissos dicere, alij artiùs teneri: hi culpam affingere, illi demere. Omnia incerta mihi, præter illud: quod omnino futurum video, vt plebecula illa aliquid plus faciat. Habet hoc semper noua libertas, vt ad licentiam facilè deflectat: quid censes de vrbe, cui insitum & fatale, turbare? Vt fistulæ diu interclusæ aut interceptæ turbidiores aquas emittunt: sic isti actiones, aliquamdiu pressi. Sed nos quoque hîc in metu. Quidam inter optimates partium non optimatium: qui, vt cum Pindaro dicam,*

* οὐ δίκας τεῖχος ὕψιον, ἀλλὰ σκολιαῖς ἀναβαίνουσι ἀπάταις. *Plebs ista mollicula. quid augurer? hostis tantùm adueniat: ego tibi spondeo, non fore hic Numantiam aut Saguntum. Cometam & nos per hos dies vidimus: immanem, dirum, & facie haud sæpe visitatâ. Quid portendat, quæris? Chaldæus non sum, nec cæli signa cognoui: tamen hoc vetus noui,*

* Non iustitiæ rectum murum, sed obliquæ fraudis scandunt.

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

cui versui magis quàm Aristoteli credo, qui hæc talia ad caussas fortuitas refert & infernas. Quid tamen aut quibus minetur, distinctè nouit ille Prudens futuri temporis arbiter: *ego communiter, non referre eum aureum sæclum. Vale, & illustri Comiti tuo à me salutem. Louanij, III. Id. Octob.* ∞. Iↄ. LXXVI.

EPIST. XXII. Duacum.

PHILIPPO LANOYO, Nobilissimo iuueni S. D.

IN *Italiam cogitare te audio, nobilissime iuuenum: & audio volens. Placet ea mens, quam agnatam scio non nisi optimæ cuique menti. Humiles istæ & plebeiæ animæ, domi resident & adfixæ sunt suæ terræ: illa diuinior est, quæ cælum imitatur, & gaudet motu. Itaque siue prisco siue nostro æuo, peregrinati ferè sunt viri magni. Sed ista hîc cautio: vt id fiat non cum voluptate solùm, sed cum fructu. Vagari, lustrare, discurrere quiuis potest: pauci indagare, discere, id est, verè peregrinari. Vt tu id possis, finem verum fructúmque ante omnia mihi propone, quem is petitum. Vt enim ij qui iaculum mittunt, non in vanum dirigunt, sed scopum præspeculantur ad quem collineent: sic tu præfini, quid peregrinatione istac quæras. Duo, nisi fallor: vtilitatem, & voluptatem. Non enim hanc solùm. nec vt coronarij bellissimas saltem herbas florésque struppis aut coronis innectunt, salubrium nullâ curâ: ita hîc tu. Quin contrà potius, plura ad mentem ac salutem referes quàm ad sensus aut adspectum. Ac de voluptate aliquid dicere vacuum sit. cùm ea sponte obuia: nec quisquam tam lapis aut frutex, quem non titillet ac flectat amœna illa variaque spectio gentium, vrbium, locorum. Natura scilicet illuc aurigatur, nec duce opus vllâ ratione. At in vtilitate laborandum est. quam nec secuti omnes, nec qui secuti, adsecuti. Eam tibi ingero, & triplici hoc limite designo, Prudentiæ, Scientiæ, Morum. Hæc enim omnia peregrinatio*

adferre debet; ſi conſilio, ſi ritè inſtituta. Ac Prudentiam ab eâ peti, Homerus nobis ſatis auctor, ille non poëtarum ſolùm eximius, ſed, me iudice, ſapientum. qui cautæ illi Vlyſſeæ prudentiæ quam aliam cauſſam vbique tribuit, quàm quòd πολύτροπος: quodque, vt ipſe ait,

* Πόλλων ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

*Multorum mores hominum & ſimul oppida vidit.

Et verè. Inſtituta enim illa varia gentium, ritus moreſque hominum, formæ ciuitatium, incredibile eſt ad iudicium & prudentiam quàm potenter poſſint. ſi tamen non viſa aut libata ea leuiter, ſed admiſſa, retenta, & collata inter ſe examinis quâdam lance. Quod ante omnia tibi cenſeo faciundum. Vide inquam, audi, indica: nec conquire ſolùm hæc talia, ſed in ea inquire. Et inquiſitio quidem à te & tuâ mente erit: conquiſitio, ab hominibus eſſe debebit, aut à libris. Nam & libri ferè ſiue hiſtoriæ peculiares ſuis quibuſque locis & linguis ſunt, quas indagabis: & homines æuo & vſu prouecti non deerunt, à quibus percontando diſcas. Etſi enim modeſtiam & ſilentium iure tibi ſuadeam: tamen nihil abnuo, quin per iter fræna ſæpe laxes effræni illi membro. Ius tibi ſermonis, non in viâ ſolùm (ſiqui eiuſmodi comites) ſed in hoſpitio ſit: nec ante menſam modò, ſed in eâ, & poſt eam. Sed ſermonis ius intra hos fines, quærendi de moribus, legibus, facie cuiuſque vrbis. addo & de Principibus, bellis, caſibus, aut ſiquid euentuum magis inſigne. Hæc notabis, hæc ſepones. certus ex iis ciulem illam prudentiam inſeri, tacitâ quadam vi & viâ. Vt enim herbas, vt arbores, creſcere non cernimus, ſed creuiſſe: ſic factam hanc prudentiam potius, quàm fieri. Atqui incrementum & irrigatio illi, ab his inquiſitorij, vt ſic dicam, humoris guttis: quas altè perbibit melior animus, & paullatim

paullatim madescit sapientis iudicij succo. Atque hæc de Prudentiâ dixerim: verbis parcè, rebus ampliter, si rebus experiris. Ad Scientiam te nunc eâdem manu duco. Quam mirère fortasse, quòd peregrè quæram. cùm domi illi sedes potius; & hæc litterarum studia quiete secretóque magis gaudeant, quàm motu aut discursu. Sed desines huius admirationis, si animum flectes ad duplicem, qui ad Scientiam, modum. Aut enim ab Auribus ea, aut ab Oculis est: à Doctore dico, aut à Libris. Et de libris quidem, nemo it negatum quin domi habeantur tractenturque melius: in doctoribus, aliter esse ratio suadet mecum. Quæ enim illa, obsecro, tam felix regio, quæ felicissima omnia ingenia includat? Quin sparsa illa: &, deo dispensante, sua cuique terræ velut gemmula quæ illustret. Hanc adi, hanc audi: & è sacris illis pectoribus, hianti ore bibe abditæ doctrinæ fontes. Quis non à Turnebo aliquo doctior redeat? prudentior à Sigonio? disertior à Mureto? quorum ego non auditum solùm magno emerim, sed visum. Quòd si notitia etiam aliqua tibi cum iis accedet (& id pronum apud tam humanos!) deus bone, quæ occasio hîc tibi discendi & ditescendi! quot gazas legere & recondere cottidie poteris latentium litterarum! Mecum vides. tu arripe tantùm: & sine auctore, in vsum eiusmodi virorum omni arte irrepe, vi irrumpe. Nusquam meliore damno frons ponitur. Hæc Platonis, hæc Pythagoræ, Democriti, & aliorum sapientium mens fuit: qui relictâ penu artium Græciâ, non ad cultos solùm, sed ad barbaros peregrinati, acri quodam cupidine discendi. Iam & alia ab Oculis vtilitas: qui hîc tibi soli & nudi ad Scientiam sæpè duces. Italiam ecce nunc adis. illam frugibus, viris, opidis cultam, illam famâ inclutam scriptisque. In

que. In eâ non vestigium vsquam pones, non oculum flectes, quin monumentum aliquod premas, aut memoriam vsurpes, ritus siue historiæ priscæ. Illic Thrasymenum miserantibus oculis subiucies, aut æternum imperij vulnus Cannas: hic magis lætis, Albanum, aut Tybur, aut nobiles Baias. Plinij alibi mansio, & Virgilij aut Propertij patria tibi ostendetur, alibi rudera Varronianæ aut Tullianæ villæ. Quanti & quàm arcani gaudij ista visio? cùm non animo solùm, sed penè oculis sese inferunt manes illi magni, & sola premimus pressa toties ipsis. Iam coloniæ illæ veteres, iam templa, theatra, arcus, sepulcra, lapides, quem non & doceant mirificè & delectent? Doceant dico. quia reuera notata aut exscripta hæc talia, mirum quantâ luce mentem perfundant, trepidantem per veterum scripta. idque experti dicimus ipsi. Vt omittam etiam illud commodum. quod nescio quomodo attollatur & grandior sese fiat animus, adspectu tot sublimium & grandium rerum. Cupidinem veræ virtutis & gloriæ ingenerat, visa toties aliena gloria & virtus. Ad mores iam venio, qui postremus mihi locus, tibi, siquid sapis ô adolescens, primus. Ab hoc enim scopo si aberrasti, aberrasti ab aliis: & inutilis, imò noxia, scientia omnis prudentiaque est, secreta à probitate morum. Cetera speciosa puta, hanc necessariam: illa ad ornatum adhibe, hanc ad salutem. In moribus autem duplex mihi præceptio: & vt bonos rectosque vbique adnotes, & fugias malos & detortos. Sed in bonis, ne mentiar, haud magna fortasse peregrè copia est. Latent enim plerumque verè probi: & in pectore intimo domicilium Virtus habet, non in vultu aut fronte. atque inde vt extrahatur, vsu opus & notitiâ quadam propiore: ad quam peregrinantibus ra-

tibus rarò accessus. Tamen elegantia quædam morum & comitas, & externa quædam, vt sic dixerim, virtus, quin apud exteros iure quæratur, non negabis. Quid in cultu, vestitu, actionibus deceat; quæ Veneres & lepôres in sermone aut gestu; docere te ritè politiores illæ gentes possint, Itali, Hispani, Galli. atque ita rus illud nostrum aptè sæpe diluas quæsita istâ vrbanitate & peregrinâ. Sed quæsitâ, non adfectatâ; vsurpatâ modicè, non ostentatâ: alioqui nihil comptu eo incomptius, elegantiâ ineptius. Risimus non semel eiusmodi histriones, qui ab Italiâ aut Galliâ noui, gestus nescio quos mimicos molestè vsurpabant, & delicias parum non dicam ciuiles, sed viriles. Tu hæc fuge. & inprimis vera & interna animorum vitia, quorum vbique larga & obuia seges. è quâ ne quas spicas improuidè colligas, magna mihi pro te cura, imò metus. Admittimus enim nescio quomodo & combibimus facilè peregrinas illas culpas, siue quia nouitate aliquâ blandiuntur, siue quia specie virtutum. Atque vt venena vinis admixta, medicorum scito, perniciter & perniciosè penetrant: sic peccata hæc adsita virtuti. Ferè enim ita fit: vt in quâ gente vitia certa increbuêre, mores iam vocentur; nec in veniam modò veniant, sed laudem. Adde, quòd naturâ ipsâ proniores nos ad mala imitanda. Vt pictor, leui manu & volante penicillo, rugas, verrucas, næuos in facie exprimit, haud tam facilè ipsam: sic probitatem laboriosè imitamur, nullo negotio maculas illas animorum. Aduigila hîc igitur: & iam-antè seriò prouide, quæ vitia cognata vel amica cuique genti. Quis enim neget? vt hominibus singulis, sic populis suæ laudes, suæ labes. Galliam ecce cogitas? leuitatem & vanitatem etiam, quæ in plerâque eâ (omni, falsò dicam)

gente. Italiam? proteruiam in eâ & libidinem. Hispanias? typhum quemdam & Africanum fastum. Germaniam? comessationes & ebrietatem. Quæ velant illi, scio, & comitatem, fiduciam, grauitatem, hilaritatem interpretantur falsò. at tu vitabis, nec in venas rapies peruersi iudicij aurâ blandientem pestem. De moribus tantum est. & pertexui hanc telam: nisi quòd leue parergum illi addam de Italiâ ipsâ. Laxat enim nescio quomodo vela huic stilo, prouehitque longius amor & cura tui. In terram is igitur terrâ istâ meliorem, fateor, gentem gente nobiliorem: haud scio an probam magis, an fidam. Ingenium, & subtilitas, & magni erectique animi in illis locis habitant: non semper puri, simplices, & ad Gallicam istam niuem. Ideoque incautis & apertis nobis nonnullum ibi periculum, & quidem à duplici telo. Nam & inter viros multi tecti, callidi, periti simulare: & inter fæminas, formâ conspicuæ, sed lasciuæ & procaces. Hic Scylla, ibi Charybdis: & duo hæc discrimina vt enauiges, opus non prudentia quadam solùm, sed dicam fortuna. Prius tamen illud me angit minus. quod amoliri magnam partem posse videor cauentibus quibusdam præceptis. Nam contra insidiantes illos aut simulantes, quidni firmum scutum à simulatione item aliqua sit? (res mihi esto inter Cretas. Nec viam tibi tamen ad fraudes præeo. absit. sed vt medici, venena quædam venenis pello, in salutem tuam non in noxam. Ad minutas & innocentes quasdam simulatiunculas te voco: nec ad alienas insidias, sed ad animi tui opportuna tegimenta. In Italiâ totâ tria hæc mihi serua. Frons tibi aperta, lingua parca, mens clausa. Comis & communis vultus aduersus omnes sit, animus externo nulli pateat: & velut in theca clausum eum habeas, dum re-

dum redeas ad notos animos & verè amicos. Epicharmææ sapientiæ ille neruus hic valeat, Nulli fidere. Nisi facis: non vnus Vlysses Aiacem te circumueniet, & dolorem nobis debes, illis risum. Atque hæc tamen cautio mea propriè in vulgus Italorum dirigitur. Nam de nobilibus cur diffitear? reuera optimates illi plerumque optimi: celsi, alti, sinceri, virtutis, gloriæ, litterarum amantes. In vulgo aliter esse obseruauimus, qui fex & limus, & verè vulgus. Itaque in illis, vetus Italicus aut Romanus sanguis ferè apparet: in istis, peream, nisi claræ reliquiæ (fidenter dicam) Gothorum, Vandalorum. Iam contra telum alterum quî muniam te, aut moneam? Ita sim saluus, vt opto potius quàm spero te hîc planè saluum. Tantum mihi metus & ætas tua facit, quæ in ipso æstu: & illæ non dicam fœminæ, sed Veneres, Venetæ aut Romanæ. In naturâ tantum tuâ spes omnis præsidij hîc, & voluntate. Quarum si alterutra ad calidas & callidas istas Solis filias inclinat: quis hominum te seruet? certè rues: nec vllo præceptorum sufflamine te sistam. Tamen ne nihil dicam aut addam: ecce armaturam à me duplicem, Oculis Auribusque. Oculos inquam, primùm mihi claude, & auerte longè ab illecebroso hoc adspectu. Aditus enim mali morbi hinc est: nec amor aut cupido facilè irruperit, nisi per geminas has fenestras. Sed & Aures etiam muni, contra omnes non Venereos solùm, sed paullò magis venustos sermones. Ij sunt enim qui titillant, qui excitant: & vt cupere ab aspectu est, sic velle ab auditu. Igitur vt athletis olim, munimenta quædam aurium adponi mos (ἀμφωτίδας vocabant) ad vitandos ictus: sic tu hoc firmum contra amatoria vulnera habe velamentum, Amatorium nil audire. De hominibus dixi

(quæso

(quæso ne cum inuidiâ cuiusquam aut irâ: quia liberè aliquid protulerim fortasse, nihil acerbè aut malignè:) adiungam & aliquid de locis. Qui varij in Italiâ omni & pulchri: vt non iniuriâ deliberes, quem præferas ad videndum, siue habitandum. Et meo quidem sensu (vidimus enim plerosque omnes, & triuimus) prima tibi vel antiquitatis caussâ, adeunda Roma est: adeunda tamen, non habitanda. Confusio enim ibi & σύγχυσις, aëris & morum haud pura puritas: & quod verissimè à Varrone dictum, turba turbulenta. Loca igitur illa prisca & vetera, monumenta ac rudera,

——& campos vbi Troia fuit,

cùm lustratus satis & veneratus fueris: Neapolim mihi abi, & paullisper inside illam nobilem, illam cultam, illam amœnam. Per quam viam deliciæ locorum multæ, quas omitto. sed si inhabitanda diutius Italia est, in Thuscos mihi redi, & illos incole, linguæ, aëris, morum caussâ. Omnia hæc ibi pura. Quod si de opido etiam quæris: Florentia mihi aut Senæ placeat: & magis istæ. At iam in abitu & reuersione, Bononiam amicam studiis libens videbis, & eadem laude insigne Patauium. quibus cùm dies aliquot dederis, non pigebit in vrbe maris dominâ (Venetias dico) lustrandâ ponere septimanas. Heu ad inuidiam pulchra, opulens, felix vrbs! minus tamen ad nostrum Genium, quia Mercurio amicior quàm Mineruæ. At in exitu grande illud & diffusum Mediolanum te capiet. in quâ fine Italiæ, finis mihi epistolæ. Deum supplex precabor vt te seruet, & tu ista. Vale Nobilissime iuuenis, vale, vale. nec deus mihi auguria perficiat, quæ in tristi mente. Antuerpiæ III. Nonas Aprileis ∞. IↃ. LXXVIII.*

*Certè vera. obiit enim eaipsâ peregrinatione, princeps nostræ iuuentutis.

EPIST. XXIII. Vltraiectum.

IANO DOVSAE S. D.

HEVS *tu, sacrifica. Lipsius etiam viuit. Discrimen igitur tibi? inquies. Grande, capitale, mi Dousa: & quidem sine crimine discrimen, à scriptis iterum meis, non à factis. Satyram ego nuper scripsi, & illa me penè proscripsit. Iocari me putas? verò, seriò, à grauibus, imò à grandibus viris res agitata, à proceribus imperij: tanquam in læso aut turbato publico statu. Suspendo adhuc te. rem habe. In iocis illis Menippææ nostræ aliquid est de lauru poëtarum, quam largitur Cæsar. Ab eâ iste ignis. Aiunt ignominiâ à me affici vniuersum id genus: aiunt Cæsarem ipsum aspergi iniuriâ, qui si non id ei ius aut potestas. Itaque à Legatis ipsis Cæsaris litteræ subitò Francofurtum, quæ grauiter me accusarent, minarentur: & Satyram ipsam priuatum irent publicâ luce. Hæc audis? hæc credis? Non ego ipse: nisi litteras eas vidissem his oculis, tenuissem hac manu. O sæculum, ô viri! Ite vos docti, vigilate, scribite: & pro famâ, subite hanc flammam. Et tamen vtcumque calumniarum ferax æuum: quis materiam iis censuisset in re tam leui? Nisi si hoc proprium mihi fatum, vt ex candore istarum nimium oriatur semper aliquis ignis. In Epistolicis meis nónne simile? Benè certè sperare de iudiciis posterorum debeo: cui tam iniqui sunt viui. Tu vide, ride, & si vir es, pro Satyrâ nostrâ Satyram in saturos illos scribe. Nónne enim, nostrâ? tu certè eius magna pars es. Vale mi ocullissime. Lugduni Bat. III. Kal. Iulias ∞. IↃ. LXXXI.*

EPIST. XXIV. Londinium.

[redacted]

EPIST. XXV. Vltraiectum.

GEORGIO RATALLERO Præsidi ibidem Consilij Regij S. D.

VALDE *alienus à Gratiis omnibus sit, Vir Amplissime: cui non & litteræ tuæ gratæ, & hæc ad amicitiam inuitatio, tam amica, tam honesta. Quam quòd prior, quòd vltrò suscipis: iure magni facio, qui scio quàm tu magnus. Et amaui quidem te, imò colui iam pridem, tacito quodam sensu: qui diu inclusus, libens nunc se promit & exspirat ad hanc suauem beniuolentiæ tuæ auram. Cui tamen non dicam paria, sed maiora facio: quò plures mihi ad amorem & æstimium tui caussæ. Doctrina, dignitas, virtus, & ante omnia hæc humanitas: quâ trahis & nectis me tibi adamantino quodam vinclo. Quod nulla vis, nulla fraus, laxabit aut soluet, donec*

Lumine adempto animam moribundo corpore fundam.

Idque

Idque tibi non per epistolam scriptum, sed velut per syngrapham volo sponsum. Tu mihi quæso responde: & hunc, vt sic dicam, amoris noui fruticem, quem tam amanter eduxisti, euocasti, alere & fouere perge beniuolentiæ tuæ radiis, ô Belgij & meus splendide sol. Vale. Lugduni Batauor. Postridie Kal. Augusti ∞. IↃ. LXXX.

EPIST. XXVI. Hagam.

THEODORO LEEWIO Consiliario S. D.

MAGNVM *illud Antuerpiense facinus, magnum dicerem & malum, si de caussâ mihi liquidò constaret aut fine. Sed tamen hoc ipso malum, quòd malum imò exitium patriæ trahet secum. Heu, quæ videmus! quæ audimus! quàm inopinata! quàm obliqua! quàm non pro veteri fide & more regum! Nec tamen, mi* Leewi, *deiicere. erige te potius: &, vt palma, attollat se animus contra nouum hoc pondus. Inspice ludibria rerum humanarum, & aleam ambiguæ* Fortunæ: *quæ gaudet iactum aliquem ex occulto iacere, nec exspectandum. Hinc ille vulgi stupor & querela, Quis putasset? quæ non cadit in mediocriter sapientem: qui iam-ante ita meditatus, vt sciat hæc & deteriora posse euenire. Ut in bello, etiamsi hostis absit, semper excubiæ: ita vigilat ille contra improuisum omnem ictum. Quis fuit ille dies, cùm hîc & alibi insulæ totæ aquis absorptæ, aut vrbes terræ motu? Quis eorum qui tam magnâ ruinâ perierunt, id putasset? Nec exempla nobis desunt istarum, quas patimur, cladium: sed ipsi nobis. qui, insito à naturâ vitio, proni semper ad spes meliores. Quas coërcere tamen potius*

sit, & laxiores habenas permittere timori. Non deerit consilium aut solatium illi animo, qui timuit quidquid potuit timeri. Iure à Romano sopho laudatur is versus,

Cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Quem velim impressum tuæ menti, unà cum amore mei. Vale. Lugdun. Pridie Kal. Febr. ∞. Iↄ. LXXXIII.

EPIST. XXVII. Brugas.

LERNVTIO, ET GISELINO.

SALVETE *meæ animæ. ita enim meritò vos appellem, quia quamdiu istic fui, vixisse videor: nunc vità frui quasi per vmbram. Circumagunt me hæ turbæ in Numidæ morem: & adhuc discurri sine lare, sine certis sedibus. quas tamen positurus in Batauis videor, Ordinum vocatu, & stipendio sanequàm honesto. Sed temporaneas, non perpetuas: saltem,*

Dum hæ conſileſcunt turbæ, atque iræ leniunt.

Aliter videtur quibusdam è meis, qui in mutatione hac rerum ad dignitates & splendores vocant. videatur. mihi stat vetus illud decretum meum, reipub. tam confusæ non misceri. Orpheus ille vester Lugduni est, & (inuideo vobis hunc risum) partes has simulat, & ambit professionem. Exambiétne? non, si Batauos noui: in quibus certè plusculum, quàm pro veteri verbo, auris est & cordis. Eurydice etiam eius hic. & illa professionem. O Dousa, viuis & Satyram non scribis? Sed ridebimus coràm. Ita enim de vobis recepit mihi Winterus vester, adolescens adprobus & perhumanus. Facite, & properate ad hæc Neptunia loca: in quibus ego cum Dousâ tam arctè, tam auidè, vos amplecte-

ample ctemur, quàm Amymonem suam illeipse Neptunus. Sed hospitium quidem vobis (ita iubeo) apud me erit: familiare scilicet & sobrium, nec propter vos maiorem fumum vicinia videbit. Properate tantùm. quod vt magis faciatis, nuncio accepisse me nunc nuper Lutetiâ à Pythœo Trochaïcum vetus, cui titulus Peruigilium Veneris, elegans & scitum carmen, & dignissimum illâ ipsâ deâ. Plura non addo. venite, videte, valete. Lugduni Bat. Kalendis Veneris. ∞. IↃ. LXXIX.

Sed heus tu, Lernuti! est quod à te seriò petant mei horti. non magnum aliquid, sed illud idem quod hortus tuæ, Seminari. Itaque siquid seminij tibi superest, non illius Plautini (apage nuptiales tuas nugas) sed istius hortensis: quæso, hoc nuntio mitte. Habeo enim & colo hîc in ipsâ vrbe hortum, amœnum potius quàm grandem, concessu nostri Hauteni. Pro eo ad Venerem natum mihi herè hoc Carmen. quidni enim friuola mea mittam, vt eliciam gemmulas tuas? Ita callidè captator sum: nec nego.

AD STELLAM VENEREM PRO HORTO.

ALMA Venus, quæ cęlorum colis ardua templa,
Quæ maria ac terras vitali semine comples:
Quâ sine nec flores hortos, nec gramina campos
Vestierint, neque frugiferas animalia terras,
Quæ've solum pedibus sulcant, quæ've aëra pennis:
Tu dea tu fautrix hortorum in cultibus esto,
Adspiresque meo numen genitale labori.
Nam sine te nil Flora potest, nil flaua Segestis,

Nodutisque herbæ pubenti optabile numen.
Pelle malum virus à floribus, imbricitorque
Ne noceat Aquilo, neu grando, neu robigo,
Effice. diua potes. Solis Lunæque poteſtas
Te ſuperà: ſed conſenſu tua tertia regna.
Nec* tibi Mercurius certauerit, aut tibi Mauors:
Ipſe tuo faſces ſubmittit Iupiter igni.
Intereà, dum nos feta mœnera militiai
Exercent, lituique vocant ad ciuica bella:
(Patria da veniam) Hauteni ſecurus in hortis
Ipſe habitem, fallatque meos cultura dolores.
Non ego Bellonæ ſim victima, non ego Marti
Miles: naſcentique alius mihi riſit Apollo.
Sat patriæ Belgisque datum, ſi fama Camœnæ
Noſtræ erit, atque aliquis venienti Lipſius æuo.

** Ad clarorem ſtella Veneris hæc referenda.*

EPIST. XXVIII. Herbipolim.

FRANCISCO MODIO S. D.

ERGÓNE *viuis Modi, & nos amas? De vtroque enim ambiguos reddebant & locorum interualla in quibus agis, & ſilentium quo tamdiu non iuſtè vſus. At nunc emendaſti, & longâ epiſtolâ ceſſationis culpam eluiſti in parte. nam totam tum demum, ſi perſeuerabis. Et quanquam remotum te doleo ſeiunctumque à nobis: tamen quòd in iis locis, & apud eum virum es, lenit deſiderium, gaudium imò adfert. Amo enim, amo, Germaniæ illum tractum, in quo beatè viximus olim ipſi: & gratulor de hoſpite, qui, vt ſcribis, tam benignus in meliores Muſas. Sæpe apud notos prædicaui, ſed parum credulos, Homines etiam illa tel-*

illa tellus alit ingenio doctrinaque pares nobis, fide & virtute meliores. Experiris ipse: & magis experieris cottidie, si omißâ inanium specie, de re iudicabis ex re ipsâ. Interea vides portum aliquem & receptum in his studiis esse, per res adflictas: nec vanum illum quicumque scripsit,

* Τὸ τέχνιόν γε πᾶσα γαῖα ἐκτρέφει. * *Artem minutam terra quæuis educat.*

Ego quidem auctor tibi sim non commouendi ex iis locis, donec Belgio huic fiducia status melioris. Nam nunc quàm fluctuemur, vides. Fœdera & domini noui: & omnino aut mutatio, aut interitio rerum. Sed malo aliquid de studiis. Tacitum ad me, siue Eclogas potius tuas in Tacitum, si mittes, gratum: & vtar, non sine memoriâ eius, per quem vtar. Paramus enim iterum vulgare Commentarium nostrum, sed auctiorem. Habemus & libros duos De Venatione iam adfectos, Saturnalium priorum (quæ dilaudas) titulo & exemplo. Sed & de Epistolis meis edendis aliquid cogitabam, siquas collegera aut seruare potui in hoc naufragio nostrarum rerum. Quæ mens iniecta mihi nuper, non nego, per Italos: quorum Epistolas ambitiosè editas vidi, & (liberè dicam) non inuidi. Cur enim? A verbis cultas eas censeas? sæpe nec Latina sunt. A sententiis acutas? torpor & tepor merus est. O Italia, vbi Politiani tui, aut Barbari? defecisti. & hoc sæculum ambitionis & fuci aliquid fortasse plus habeat, re deseritur & seriâ illâ doctrinâ. Etiam Agellius nobis nuper in manibus: deposuimus, postquam aliis audiuimus eam esse curam. De Matulis illis & Petreiis, iam aliquid inaudiueram, sed quid? etiam illæ nitedulæ extrahi volunt è suis senticetis? à me frustrà. Tu tantùm purga me calumniarum eiusmodi apud Posthium: & animum hunc illi aperi candidiorem vestrâ

vestrâ niue. De poëtis Germanis aliquid dixi aut scripsi: at non de germanis, inter quos mihi ipse. Fucos & dehonestamenta poëtarum saltem tetigi: quorum fertilis sanè illa ora. Vidimus nos, & vides ipse. Quis non ibi somniasse vult in bicipiti Parnasso? Itaq. vates omnes audiunt, & prodeunt: & compti sublimesque multi cum Cæsareâ suâ lauru. Quos non equidem sperno aut rideo: hoc tantùm iis instillo, Laurigeri multi, pauci Phœbi. *Quin re plerumque didici, minimè re poëtas, qui titulo illo & nuncupatione. Extrema tua epistola pupugit me de M. Antonio. Itáne est? abiit? certè doleo. Nam æmulatiunculas illas eius (ita appellare malo, quàm calumnias) nihil moror. Habere hoc scio ista studia, vt nescio quomodo facilè pariant riualitatem. quam ego seriò contemno: sed & hoc mihi seriò dolet, contemni per hanc illa. In contentionibus enim istis quis risus sæpe vulgi? & iure, cùm tam pueriliter desipientes eos videant, qui ad sapientiam aliis magistri. Ratallerum Træsidem quod saluere tu patronusque iubetis: ille verò saluus. iampridem enim à nobis abiit ad beata illa loca: idque præcipiti quodam fato. Nam benè valens ad curiam cùm venisset, subito deliquio animi concidit, nec surrexit. Ita ereptus patriæ optimus ciuis, nobis amicus. Hoc ante septem menses accidisse scitote, & mecum dolete. Vale mi Modi, & magno illi patrono tuo à me salutem. Lugduni Batauor. Nonis Augusti.* ꝏ. Iↄ. LXXXII.

EPIST.

EPIST. XXIX. Hagam.

THEOBALDO TEELINGIO.

APPELLA *me verò, & litteris, & sermone: nec excusa. vaco semper ingeniis, quibus discere vacat: quale est, & spero, erit tuum. Hoc excusa, quòd ad epistolam prosam, carmen non addideris: nam id te decebat. An alienum ab Musis me censebas? non sum. amaui adolescens & nunc amo, & scio eas esse, quæ lato, & læto limite ad Sapientiam & Virtutem ducunt. Lasciuia modò caueatur, & obscænæ illius deæ laquei, quos in Musicis illis arbustis sæpe texit. Tu redux, me appellabis reducem, (nam & ipse iam in vlteriorem Bataviam excurrebam:) & hoc mihi semper gratior, quò maior in te ardor ad discendum. Ætatis tuæ florem cogita, & cui huius fluxum: quodque Æneas ille Homericus aurigæ suo dixit, tibi ego.*

* Ἀλλ᾽ ἄγε νῦν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα
Δέξαι.

Verùm, age, nunc manibus flagrum & splendentia fræna Accipe.

Atque vnà salue.
Lugd. Bat. postrid. Id. Sextil.

EPIST. XXX. Viennæ.

NICOLAO BIESIO Cæsareo Medico.

NOS *quoque, mi Biesi, Legatum Budensem vidimus. Magna pompa, multi comites: vestis & mores nobis exteris mira. Pellis illa iniecta puerorum anteeuntium humeris, nunquid abest à prisco Scytharum ritu & habitu, qui pelliti? non videtur. Vestis illa laxa à Braccis? nihil.*

cis? nihil. Sed & honoris habendi ritum, quem Cæsari retrogradiens exhibuit (sollemne id genti) odoramur esse à Persis. Ammianus suggerit libro XVIII. *de Antonio quodam, qui transfuga ad eos corumque mores*: Simul hoc dicens è medio prospectu abscessit, non auersus, sed dum euanesceret, verecundè retrogradiens, & pectus ostendens. *Garritum hunc præmisi. plura, si voles, in cœnâ: ad quam bonâ fide me sistam. Salue.*

EPIST. XXXI. Hagam.

TH. LEEWIO S. D.

ITA certè oportuit. in viam, inquam, officij redire, à quâ exorbitauimus vterque nimium diu. non negligentiâ aliquâ, vt scio, aut contemptu: sed fortasse dulcedine cessationis, & fiduciâ amoris. Id enim de me fateor; de te opinor. Quin sæpe sic afficior, vt quemadmodum mulieres quæ vterum ferunt ad omnia nauseant: sic mihi nec scribendi libido vlla sit nec legendi. Mare quoddam mortuum esse aiunt, sine vento sine motu: sic sæpe ego. Sed tu me excitasti: præsertim illâ parte epistolæ, quâ consilium à me petis de summâ vitæ. Deliberas de coniugio, aut cœlibatu. Difficile mihi sententiam interponere, præiudicio iam panè deuinctam. Vides enim quid ipse fecerim. Ita nisi à coniugio dixero, damnem me ipse necesse est aut inconstantiæ aut erroris. Sed seponam tamen paullisper eam cogitationem, & de totâ re videbo quasi liber & exsolutus. Ac principio coniugium si quis damnet, impius sit in vtramque legem, & ciuium & naturæ. Stare genus humanum non posse omnes scimus, sine viri mulierisque cœtu. Non ergo

vniuersè

vniuersè id quæris, credo, an coniugium probandum: sed strictius, an sapienti, an hoc tempore, an tibi. Sapientiæ studia & vitæ quietem si sequeris, nescio an ducenda vxor. Exempla veterum sapientum in vtrumuis sunt: ratio magis est vt neget. Si enim liber animus, Deo & sibi vacans, ad sapientiam & tranquillitatem requiritur: non video quomodo adsumenda illa cura, quæ noctes diesque adhæreat, angat, coquat. Si satis molestiæ in te tuisque cupiditatibus regendis, frænandis: quid aliunde accersis, cui imperes & moderere? Cymbam nostram difficulter gubernamus: ecce nauim aduncam volumus cum tot armamentis? Et fero adhuc, si reges. sed quid si regere illa vult? si fulmenta lectum scandunt, vt vetus verbum est? quid? nónne bellum tibi non ciuile, sed familiare sumendum est de principatu? At enim moderatam audientemque tibi speras. Ita censeo & opto. sed quã in re vnquam magis spes & vota fefellerunt? An ex composito illo vultu, oculis, verbis, toto corpore ad modestiam ficto, vxorem eliges? crede mihi, nulla fides. Proprium hoc & velut innatum illi sexui, vt rudæ adhuc & vix pueritiam egressæ simulent, fingant, fallant. At enim fide & commendatione aliorum, inquies. Nolim equum sic emere aut agrum. Et quã in re libentius aut minus cum periculo fallunt amici? Si in equo aut agro imposuerunt, expostulandi mihi saltem ius est. at id non in isto. Canetur tibi illud comicum, Habeas vt nactus: *& querelæ tuæ in ventum ibunt, imò in irrisum. In genere hoc prædixerim de sapiente: iam tempora ista videamus. Si res lætæ & prolixæ: magis ferrem te ligari hoc nexu. Nempe publica solarentur: nempe in spem honorum & felicis æui liberos susciperes, educares. At nunc quid nisi communes*

 calamitates

calamitates & bella? ne domi tu quæras. Quid nisi exsilium, exitium, imminet, & mutatio vniuersi status? ne ad aureum sæculum liberos procudi à te censeas. Denique te ipsum (quod tertiò posui) intuere. Animus tibi ingenuus, & corpus: id est vires valetudóque parum firmæ. Ætatis quidem bona pars superest, sed & bona elapsa. Ingenium tibi come, molle, quod ferre iniuriam potius possit quàm inferre. Hæc omnia videsis an apta ad mores fœmineos nostri æui. Et Diogenes quidem ab omni ætate coniugium remouebat, satis scitè. Nam iuueni, inquiebat, nondum ducenda est vxor: seni nunquam. Græcè hoc sonat melius, τῷ νέῳ μηδέποτε, τῷ γέροντι μηδεπώποτε. At ego certè non vanè id restrinxerim ad statum mediumque hoc æuum, quod velut vinum iam deferbuit, & quale, mi Leewi, est tuum. Hæc in parte vnâ dici possunt, nec pauciora in alterâ: quæ quoniam scio subiici & à te tibi & ab aliis cottidie, laborem non sumam in iis recensendis. Eò minus, quòd frustra scio suaderi coniugia aut dissuaderi: quæ à cælesti nutu & à fato haud vanè esse dicuntur. Bene Euripides,

* Εὐνὴ γὰρ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ μόρσιμος.

* Fatalis est viro atque feminæ thorus.

Idque didicimus nos ipsi. Bina Socratis monita tantùm addam. Primum, iuuenes cælibes similes esse piscibus qui alludunt circum nassam & gestiunt inire; contrà, qui iam inclusi, exire: simile in matrimonio esse, quod ambiunt liberi, damnant capti. Alterum, Sciscitanti cuidam Vxorem an non duceret? Vtrumuis, inquit, feceris, pœnitebit. In quo verè oraculo concludo, & ambiguum te sententiæ meæ relinquam, non amoris: qui tam verbosam à me Epistolam expressit. Vale.

EPIST.

EPIST. XXXII. Lutetiam.

IOSIAE MERCERO S. D.

AD me verò sæpe eiusmodi muscæ aduolent (ita per iocum te appellas:) imò apes. quoniam tu & litteræ tuæ plenæ suauitatum & meri mellis. Ipsâ quidem caussâ scribendi quid mihi gratius? Appetere te amicitiam meam: quæ si vltrò offerenda sit tam benè natis ingeniis, nihil ab eam à decore. Tu tamen anteuertisti. etsi non ignotus planè, vt ais: quia famæ aliquis radius te quoque illucet à magno illo patre: cuius eruditio & virtus [illegible] apud omnes. Et tu succedes, imò præcedes: si pergis modò in hoc laudis stadio, quod currere cœpisti recto & felici pede. Nam notæ tuæ ad Cornelium nostrum quas mittis (verè non blandè dicam) vix tuæ ætatis. Macte hoc acumine! quod vide te quæso ne ambitio deprauet aut calor. Nam illud nisi ad rectum maturumque iudicium dirigis, noces, non iuuas, & infligis scriptoribus vulnera, non sanas. Nos Tacitum vulgare iterùm paramus, cum Commentariis nostris (siue Notæ erunt) ad omnes libros. Nam priores sanè illi ad Annales refingendi etiam sunt: quia & lapsus alibi sum, & quædam mihi elapsa. Cur negem? semitam sæpe ingredior, cùm maximè censeo viam: & gratiam seriò habeam, siquis corrigat, dirigat, reducat. Ad P. Pythœum litteras iam nuper dedi. accepítne? inquire obsecro. Nam ipse quidem silet: at non in illum meus amor.. quod indicabis, & salutem à me nunciabis ipsi & fratri. Vale. Lugduni in Batauis. Idibus Martiis. ∞. IↃ. LXXXII.

EPIST. XXXIII. Gandauum.

ALEXANDRO RATLO amicissimam salutem.

LECTIS *litteris tuis, mi Ratlo, & dolui dolorem tuum, & gauisus in constantiâ sum: quòd videam te quæ euenerunt ita ferre, ut ferenda humana sunt, & vt dignum est iis sapientiæ studiis quæ tractas. Nam reuera hæc bella, hæ turbæ, hi discursus, quid aliud quàm ludi? cruenti fateor; sed tamen ludi,* [redacted] *Itaque non ferenda solùm ista, sed ridenda. Et videsne cùm nuces sparguntur, vt currant pueri, & rixentur? idem isti, qui oppida & arces rapiunt, diripiunt, alieno malo & suo nullo bono. Atqui ea ipsa quæ tanti faciunt, propter quæ sudorem sanguinemque fundunt, si dimota vulgi nebulâ consideres, nuces sunt. Quare mi Ratlo mittamus ista, & habeamus eo loco quo sunt: id est, pro nugis. Ad nos redeamus, & ad eum quem dicis* τετράγωνον λίθον *in quo solo quies & tranquillitas firma.* Cetera fluminis ritu feruntur, *vt canit Poëta ille inter verè sapientes. Senecam nostrum tibi placere ex animo gaudeo. Scio non alios è priscis magis consentire cum Christianâ pietate, quàm eos qui è Stoicâ domo. In quo numero etiam Arrianus est, qui digessit Græcè dissertationes Epicteti, mihi valdè probatas. Quare, moneo, & lege. Nos hîc turbæ iterum exercent, quæ sub discessum tuum sopitæ. Sed sopitæ tantùm. nam euigilant iterum & viuunt, metuo ne in reip. malum, & scholæ nostræ exitium. Nisi fallor, ea imminent, vt non discessisse à nobis videare, sed nos præcessisse. De*

Gallis

Gallis mihi quidem ænigmata. Veniunt, non veniunt; volunt, nolunt: audent, timent; & omnia ancipiti metu suspensa & suspecta. Turcarum princeps aliquid in Africa mouet: & aget is saltem bona fide. Mitto ad te Saturnalium meorum primam partem De Gladiatoribus, vt videas cruentas etiam illas in pace pugnas. Salutem quibus dici voluisti, dixi: iidemque te resalutant. de patris tui morbo doleo: quem à me saluta, & tu vale. X. Kalendas Feb. ∞. IↃ. LXXXII.

EPIST. XXXIV. Brugas.

IANO LERNVTIO.

SPES *iterum me fefellit. quid fecimus, quod totiens in nos vana ista dea? Mercurialis ille hodie ad me redit, negauit posse. Rem dicam? poscere volebat, nec audebat: quia collybum vulgo iam dinumerant trium florenorum in centenos. Id lucellum inhiabat; nec petere scilicet ab amico volebat, nec ego dare, te inconsulto. Tu dispice illic. aut, si vis, Atuaticum excurre: in hoc statu abeuntium, redeuntium, transferentium, reperies qui velit. Loquere cum Moreto, efficaci ad res tales. Sed quid me celasti? túne Grudios? Peream, nisi adprobo: ad quietum locum, amœnum, &, quod caput, amicum Paci, & eximium à milite ac Marte. Si expedire te vinclis possessionum tuarum potes, abi, curre, vola. Ego nónne aliquando vicinus? Si di me, & mihi Iscanum meum seruant; quam sedem destinaui reliquæ huic vitæ. Cum lege, si securitas illic; si status, quem Modestia & Probitas non spernat. Parere boni possunt & debent; seruire, ancillari, adulari, non nisi vitiorum ancillæ. Va-*

el cambio

cillæ. Valeat autem æternùm mihi patria, si valebunt in eâ ista. Tu quoque, mi Lernuti, (sed ab aliâ mente) mihi vale. 1. Octob. ∞ IϽ. LXXXV.

EPIST. XXXV. Antuerpiam.

FRANCISCO RAPHELENGIO.

DILATVM *mihi responsum ad superiorem epistolam tuam, non dimissum. Dum enim cottidie discessum sororum tuarum exspecto, atque aliud ex alio interuenit, septimanæ aliquot in hoc silentio exactæ, vt vides. Ceterùm grata mihi tua scriptio, vti & amor: cui à me cum fide respondebo. Filius tuus in studiis perseuerat, & effecimus ne quid Typographia auocaret illum aut impediret. Cursum certè hunc studiorum interpellari aut sisti, non erat è re eius. De filio altero tibi agnato gratulor. etiam filius tuus, vt videbis è carmine Genethliaco, quod credo illum iam misisse. In Constantiâ nostrâ pergimus: sæpe negotiis, sæpe valetudine retardati. Iuuat tamen opus, argumento saltem vtile futurum hodie multis. Nubem enim hanc temporum vides: nec Solem aliquem qui pellat. Ille quidem Gallicus, qui* DISCVSSVRVM *se promiserat, videtur* FOVISSE. *Et Austri isti cùm Circiis mixti & iuncti, vereor vt dent mage maiores tempestates. Omnia hodie Principum, infida, intuta: nec veri solatij vsquam spes, quàm in se cuique. Firmemur iam antè contra hæc omnia, quæ euenire homini non solùm possunt, sed communi quadam lege debent. Ciceronis falsi Consolationem vidimus: quæ me quidem adeò non erigit, vt deiiciat potius. scripta videlicet frigidè, solutè, & vt verbo dicam, ineptè. Quis ille tam stultus, qui*

tus, qui ſperauit ſe poſſe imponere nobis falsâ hac perſonâ? ſub quâ latet aliquis ne ſuperioris quidem, vt ſuſpicor, æui. Bardi Typographi, qui tam ambitiosè hæc diuulgant! Sed credo in noſtrum riſum, & ſuum quæſtum. Valdè me Ciceronis pœniteat, ſi ille vel in medio dolore tam elumbis. Nuſquam nerui, nuſquam ſententiarum ſanguis, nè color quidem verborum, niſi cum cerusſâ & fuco. At tu vale, & me ama. Delphis. Huc enim ſorores tuas abeuntes deduximus. III. *Idus Septemb.* ∞.IↃ. LXXXIII.

EPIST. XXXVI. Viennam.

IOANNI SAMBVCO S. mitto.

DIV *mihi nullum alloquium apud te, ne per litteras quidem. cauſsâ & temporum horum, quæ nos turbant: & locorum, quæ ſeiungunt. Nam nos, vt audiſſe te credo, in Batauis agimus apud Oceanum verè vndoſum: & iactamur ciuili tempeſtate, tibi non ignotâ. At nec loca tamen nec tempora gratam mihi memoriam Sambuci excutiunt: quam teſtari volui per hanc occaſionem primò nunc datam. Qui enim illuc viam affectaret, præter hunc adoleſcentem, nactus ſum neminem: & nuncij illi ordinarij, ordines deſeruêre per hæc bella. In ſtudiis, dum Mars hic ſeruet, languidè verſamur. ita tamen, vt cogitemus editionem nouam Taciti cum plenoiuſtoque Commentario in eius omnes libros. Eâ in re iuuari me à te poſſe ſentio, vſu libri manuſcripti quem memoriâ teneo Viennæ olim vidiſſe. non illum quidem antiquiſſimum: ſed è quo tamen non dubiè aliquid eruamus, & Criticâ iſtâ ſagacitate indagemus. Quare ſi eum ad tempus gratificari mihi volueris, amorem in me*

ostenderis, & simul morem tuum tenueris rei litterariæ adiuuandæ. Videtur sub has nundinas tutò transmitti ad Plantinianos posse: quibus mandata dedimus accipiendi, adseruandi. Velim voluntas tibi & occasio in mittendo non desit: nobis fides constabit in remittendo. Salue ab eo qui meritissimò te amat, Iusto Lipsio. Lugduni Batauor. Kal. Martiis. ∞. IↃ. LXXIX.

EPIST. XXXVII. Hagam.

TH. LEEWIO S. Dico.

SEMPER *amo litteras tuas, præsertim eas quibus (vt sic loquar) nota aliqua impressa est bonæ mentis. vel hæ postremæ quàm sine adfectatione prudentes! quàm verè Philosophum referebant, & sine vllo fuco! Itaque vt calebant adhuc à meâ nuntiique manu, iis rescripsi. Melonis tui odor vel huc usque nares meas adflauit. & mentior, nisi saliuam mihi mouet & desiderium gustandi. Sed cohibe tamen. & vide ne gnatum illum, qui vnicus nobis, nimium properè auellas à matre. Auster saltem & imber hic abeat, & soles aliquot videat puriores. Tum licebit*

Extremum hoc oculis lumen radiatum rape.

De Alenconio mehercle quid dicam nescio. ita ænigmati similis res est. Venit, non venit: accessit, recessit. Credo non illum Callipidem, qui prouerbio locum fecit, tardius ambulasse, quàm hunc subnixum tot equitum alis. Nec aliud tamen adhuc audimus quàm, Veniet. Si seriò hæc aguntur, facilè præsagio difficile & diuturnum bellum: cuius exitus Deo in manu est. Ad nos quidem quid ista? non magis quàm si Æthiopes inter se belligerent, aut noui Indi. In animo

nobis

nobis pax sit, cum affectibus concordia: & ecce omnia tranquilla. At enim patria periclitatur Fateor. sed quis nostrûm iter præcludet publicis fatis? Habent ista transitus suos, imò interitus: quorum tempora cùm venerint, nulla vis aut consilium ea firmet. Et tamen illi ipsi patriæ, cùm res feret, non manu non mente deerimus: atque hoc scilicet agemus, vt non solùm boni viri simus, sed & boni ciues. Vale mi amicissime. Lugduni Batauorum XV. *Kalend. Septemb.* ∞. IↃ. LXXXI.

EPIST. XXXVIII. Rostochium.

IOHANNI IONSTONO SCOTO.

QVOD *& me amas, & Constantiam meam laudas, mi Ionstone: alterum valdè amplector & approbo, alterum timidè, quia scio reipsâ non attingere me culmen hoc laudis, in quo collocat me tuus affectus.* [redacted]. *Quidquid huius est, amo iam amo Constantiam meam, quæ tam multos mihi conciliat amicos. In quo numero vt fidenter te deinceps censeas, mi Ionstone, iubeo, non solum rogo. Quòd si Deus mihi tangere & videre Germaniæ solum iterùm dederit (fiet fortassè voto citiùs, vt res hîc fluunt) te videbo, & dexteram iungam tesseram Fidei & Amoris. De Carmine gratiam tibi habeo, magis magisq. habiturus, si crebrò me Epistolis tuis salutaueris; in quibus notas claras video elegantiæ priscæ & doctrinæ. Lugd. Batau.* XI. *Kal. April.* ∞. IↃ. LXXXVIII.

EPIST. XXXIX. Lutetiam.

IANO GVLIELMIO S.

LIBENS *vidi Quæſtiones tuas Plautinas, mi Guilielmi: in quibus non doctrinæ ſolùm notæ vberes & acris cuiuſdam iudicij, ſed etiam amoris in me tui. Partem enim mihi inſcribis. cum magnâ meâ gratiâ (liberè profiteor) vel quia ſcriptoris eius res eſt, quem amo vnicè; vel quia beniuolentiæ hoc teſtimonium me delectat ab eo quem æſtimo, quemque amo. Ego profectò ſi vnquam occaſio erit, præſtabo me ad gratiam referendam non modio ſed horreo toto. At in libro eo tuo, magnæ mihi voluptati non ſemel interpoſitum iudicium, de ſtudio Sapientiæ & Morum. Macte hac ſententiâ! Obſecro enim, vt quid iſta humanitatis ſtudia tam ambitiosè adfectamus, tantùm propter ipſa? Abutuntur plerique ad malam & vanam pompam, vt ſcis, verè cum Appione, cymbala quædam inanis iuuentutis. Tibi melior, vt video & gratulor, meus: atque vt porro ſit, quæſo & hortor. Noſtrum illud De Conſtantiâ cenſeo vidiſti. nunc damus De Amphitheatro, & cis paucos dies habebis: etſi opus ludicrum, & natum mihi per remiſſiones, vt ſtilus ipſe indicabit. Dedi litteras ante ſeptimanas ſex ad Egmondum, quibus incluſæ alteræ ad Busbequium de te, imò pro te. quid iis factum, neſcio. quia hactenus nihil inaudiui. Quæſo inquire. Ille quem tangis, quid & vbi agit? Vtinam in gratiam cum virtute redeat! nam mecum tunc vt volet, & quando volet. Busbequium ſi conuenis, ſalutem illi à me dicito: & è iuuentute ſelectâ, Ioſiæ Mercero, ſi noſti. Paſſeratio item doctori publico. & ſi quibus aliis ex eo numero procerum innotuiſti. Vale.*

EPIST.

EPIST. XL. Brugas.

I. LERNVTIO S. D.

CISTAE *tuæ hesterno die ad me perlatæ binæ. hoc ante omnia scire te volui. sed perlatæ benè madidæ per continuum imbrem. Itaque* valdè *veremur, si quid in iis sit; quod periclitetur ab vdore, ne putiscat. præsertim si quid è lino aut lanâ. Cogitet tua* vxor *: & si* videtur, *aliquem fidum huc mittite qui inspiciat, aperiat, euentilet. Nos quidem amicam & sedulam omnem operam custodiamque pollicemur : quantum id pote. Collocabimus etiam eas bono & aërio loco. Scripsi bis ante septimanas aliquot, & valdè fallor si meas non accepistis. Carmina tua adhuc apud me sunt. Dousam enim exspecto in horas, cui* velim *ostensa. Ego, nisi quid interuenit, intra septimanas duas aut circiter Antuerpiæ ero.* velim *sanè te* videre *& amplecti: & si illuc* venis *, posses mecum redire in Batauos. Ita ipsum iter nobis non sine gaudiŷ & amoris fructu. De Giselini re, omnia hactenus nequidquam. & nonnihil turbellarum inter Magistratum & Curatores, occasione professoris cuiusdam admissi Senatu inconsulto. Priuata profectò & publica turbant. quid refert? si quies modò apud nos & in hoc animo sit: ex quo puro siue impuro, liquidum omne aut turbidum manat humanarum actionum. Ut in corpore ægro & corrupto, quidquid infertur alimentum est morbi, atque abit in noxam: sic in homine, qui internum illud non depurauit. pectus dico, fontem & originem cupiditatum. Opes adfluunt? auaritia te torquebit, & angor seruandi, dispensandi. Desunt? inopiam non feres, & quæ-*

res eas per vndas & per ignes. At modus ab animo petendus est: cui composito semel & securo, numquam superest aliquid aut deest.. Sola, mi Lernuti, quies est & internæ illæ opes,

* Οἷσιν τ' εὖ ζώουσι καὶ ἀφνειοὶ καλέονται,

**Queis rectè viuūt homines, ditésque putantur.*

vt ait Homerus. Vides philosophari me tecum: nec excuso. amplius dico, Sæpe faciam. Valdè enim te tuamque egregiam naturam trahere ad hæc alta velim (quò scio propendes:) & collocare te supra hominem etiam dum es in humanis. Et enitêris, si nitêris. Vale, & salueat à me virorum optimus noster Giselinus, à quo responsum exspecto, sed non lentum vt solet. Lugd. Batauorum. III. *Non. Feb.* ∞.IↃ. L.XXXIV..

EPIST. XLI. Pontem-Musæum.

GODSCHALCO STEEWECHIO S. D..

MIHI & scriptio tua grata, & magis Coloniam reditio: quam extra noxam fuisse gaudemus, etsi non extra metum. Scimus quàm intutæ viæ his temporibus: quibus ad iniuriam omne ius prædonibus non militibus, dant hæc latrocinia non bella. Tu quoque gaude. portum enim iterum attigisti, in quo acquiescere possis, Musarum suauiter aspirante aurâ, sine vento vllo aut nimbo ciuilis huius tempestatis. De promissis Plantini, securus es. hominem non nosti, si ambigis: & credi illi potest, tanquam Fidei ipsi. Nec tamen decro submonere, cùm redierit: quod fiet cis paucos dies. De Modio, certè amicus ei sum. (ingenium & adolescens eius virtus ita merentur.) ac valdè auctor tibi, sic rem in scriptis tuis temperes, vt nequâ parte eum aut stringas aut lædas. Lædas autem? laudes imò

des imò volo. Ita de illo ipso Vegetio meruit: & sepone mihi sodes omnes istas æmulatiunculas, quæ intercurrunt hæc studia malo iure, malo more. Inuidet quispiam? hoc ipso inferiorem se ostendit. quia apud humiles dumtaxat animos habitat, & in altos dirigitur liuida illa dea. Sed tu non talis. moneo tamen vel ex superuacuo, quia peccatum hoc in litteratorum nostrâ gente peccatur hodie nimium crebrò. De Vegetio ipso sic sentio. scriptorem non malum potius, quàm bonum esse: & hoc tamen quod in eo boni, deprauatum & pollutum à patribus variâ labe. Creber enim in illorum manibus: quæ nec innoxiæ vsquequaque, nec puræ. sed nec oculatæ. Itaque non iniuriâ ad perpurgandum eum tu Modio nostro velut optio succedis: & opto vt cum publico fructu, cum tuâ famâ. Quod fict, si stilum manumque modestiâ quâdam temperabis & diriges: malisque ambigua quædam vlcera relinquere, quàm districte auferre omnia & præcipiti quodam ferro. Medicos in Criticâ istâ ferre possum: sectores ad Matrem deûm ablegem, procul à virginali nostro choro. Vale mi Steewechi, & mutuiter me ama. Lugduni Batauor. Postrid. Nonas Octob. ∞. Iↄ. LXXXII.

EPIST. XLII. Vltraiectum.

THEOD. CANTERO S. D.

ITANE *Dalius noster abiit? abiit, non visurus amplius, non videndus. Sanè dolui: eò magis, quòd subita ea plaga, & præter exspectatum. Nam lethalis quidem ille morbus (phthisis enim vera erat:) sed quis putasset tam præcipitis eum fati? Trahere, vt scis, plerumque solet, & lento*

passu

paſſu ducere ad Orcium illum theſaurum. Sed nimirum vt nauim interdum improuiſus vortex abſorbet: ita homines nigra dea. & præſertim eos quibus indoles melior, & ingenium ſupra annos. Quod in Dalio planiſſimè fuit. Claudium Quadrigarium ſcribere memini : Hæc maximè vexatur deorum iniquitas, quod optimum quemque non ſinunt inter nos diutnare. *Aptè & verè. niſi quòd iniquitati impiè tribuit, quod eſt æquiſſimæ æquitatis. Cur enim cæleſtes illæ animæ diu in hac fæce? abeant. imò, & euolent ad ſuum cælum. De Arnobio, vrge cœptum. Quis poſt Tertullianum inter ſacros ſcriptores doctior? ideoque doctorum limâ dignior? Etſi bona ſanè in eo opera Gelenij : quamquam interdum (quis non Criticorum?) exerret per acumen nimium aut calorem. Satyram quam vulgaui his diebus, en tibi. Nomen te terret? fruſtrà. edentula eſt, &, vt antiqui noſtri loquebantur, planè innox. Laſciuiam alibi agnoſcas, nuſquam morſum. Artemidorum tuum totum auidè legi, & velut* ἀμυστὶ. *Neſcio quomodo non ſperno totum hoc diuinare (id quoque fortaſſe à noſtrâ porticu:) & eam rem viſus mihi ille commodè & acutè tractaſſe, ex ipſis fontibus naturæ. Salue. & ſalutem à me, vt Comicus noſter ait, plenis faucibus propina Lamberto Burchio Decano, viro qui litteras & litteratos vnicè amat; ideoque digno qui ab iis vnicè ametur. quod me bonâ fide facere ei nuncia, imò ſponde. Lugduni Batauorum, quo die Cæſar olim in Curiâ Pompeij.* ∞. IↃ. LXXXI.

In Arnobij tui iſto loco, libro I. Et tamen, ô iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum criminamini: ſtribiligines & vos iſtas in libris illis maximis atque admirabilibus

rabilibus non habetis? Nónne aliud hæc vtria, aliud dicitis hos vtres? cælus, & cælum? non item filus & filum? crocus & crocum? fretus & fretum? sanguis & sanguen? *Odoror duplex vitium. Ac primum scripserim*, res nostras vitio verborum criminamini. *Fugit enim omnino prior illa verbi syllaba, retrahenda ex Arnobij ipsâ mente. Hoc scilicet politi illi & docti Romani obiiciebant nostris*, solœcismis obsitas res nostras, vitiorum deformitate pollutas, *vt ipse præmisit. Respondet: variari sermonem pro arbitrio, & illos ipsos veteres à talibus solœcismis non abfuisse.* Nam, *inquit*, aliubi hæc vtria, aliubi dicitis hos vtres. *Ita enim alterum vitium tollo*; Aliubi, *inquam*; *scribo, non* Aliud. *Clamat res, & sequentia exempla. An enim aliud sanguis, quàm sanguen? fretus, quàm fretum? Minimè. Variatum tantùm licenter genus ostendit, & modò Vtres positos ἀντὶ τῶν ἀσκῶν, modò Vtria. Ecce in Nonio*: Vtres vsu generis masculini tantùm. Neutri, Liuius Andronicus: Flacci teget vtria.

EPIST. XLIII. Hagam.

TH. LEEWIO S. D.

Te verò laudo. non imitaris meam pigritiam, & quanquam ad binas tuas iam silui, tamen tertiis etiam lacessis. Etsi, mi Leewi, nulla hîc pigritia. ignoscas aut misereаris potiùs, si scias quàm per omnes hos dies distrahar & distinear negotiis nec seriis nec bonis. Amici & alieni adpellant, interpellant: ad conuiuia vocant. & hoc putant comitatem, auferre mihi vsum veræ vitæ. Parco tamen, & quamdiu in hoc proscænio

*sum, sustineo personam. Mallem ad interiora illa gaudia diuertere, studia dico & sapientiæ exercitationes: à quibus non per hæc solùm acerbissima tempora, sed etiam lætiora, veros petam quietis & gaudij fructus. Sed differo sæpe illa, non dimitto: quod tibi etiam vsu venire certò scio. Plantinus nunc adest. serò à me monitus de * Thalete illo Gallico, serò ad suos iterum scripsit. & illi responderunt iam Lutetiâ se petiisse. apud nos scilicet sapientia illa non habitat. De adolescente quem nuper mihi commendaras: scis quàm omnia velim tuâ caussâ. Hoc tamen nolo. & si rationes omnes meas audias, scio, ipse non velles me velle. Multis iam recusaui. quos omnes offendo, si vnum admittam. denique rimam aut fenestram hanc si aperio, toto ostio admittendi alij sunt. Quies autem mea id non patitur, & ratio vitæ quam per silentium ago. Peto ergo vt id excuses: & maiora aliqua à me petas, cùm opus erit, non neganda. Institutum tuum de omissâ domo, hactenus probo si in eo perseueras. Semel enim constituendum est quod vitæ genus eligas, solitarium an sociabile. illud, cum paucis & sapientibus quos melior Deus adspexit, commune tibi futurum; hoc, cum multis. Et vtrumque tamen illi rectum, qui incommoda vtriusque fert. nam vt omnia tollas, vanè cum vulgo speres. Siue vxor ducitur, siue omittitur: habebis quod doleas, quod querare. nec in hac omni vitâ tam optabile aliquod bonum est, quod non mixtum poculo aliquo mœrorum. Hæc publica & æterna lex: cui, improbus & refractarius est, quisquis repugnat. Vt athletis olim sors non electio aduersarium dabat, cum quo certarent: sic cuique nostrum vitæ suam conditionem fata, cum quâ luctemur. Hanc vincere oportet, id est ferre. Huius enim pu-*

* Ita indigetaui Michaëli Montani librum Gallicum Gustuum titulo: probum, sapientem, & valdè ad meum gustum.

enim pugnæ robur omne in patiendo est, & victoria in cedendo. Res publicæ non in bonâ spe. Præcipuæ aliquot Flandriæ & Brabantiæ vrbes nauseare incipiunt, & fastidire præsentem hunc statum.siue duturnitas belli id facit, siue gubernatio non vsquequaque inculpata. Consilia arcana agitare dicuntur de pacifcendo cum hoste. Quidquid horum est aut erit, nos pessima timere nihil nocuerit: & vt pugiles, iam nunc parari ad strenuam cum omni sorte pugnam. Paupertas imminebit? exsilium? carcer? proponamus interdum animo has imagines, & persuadeamus illi quàm nihil in his aut certè non multum mali sit illis, qui mala ea non putant. Reuera enim vti opinio diuitias bonum fecit, sic eadem inopiam malum. Sed hæc facilia dictu videntur: fortassis etiam factu, si quis conetur. Nunc plerique eò stultitiæ venimus, vt nec aspirare audeamus ad bonam mentem. Sicut ij qui phrenesi laborant, irrident aut verberant suos medicos: ita nos. Vale. & me amantissimum tui, ama. De hortulo tuo nihil narras noui. meus in eâdem caussâ. qui iam pridem animam agit, aut potius egit. Credo enim per huius ipsius diei æstum ablatum illi omnem succum & vitam. Hoc quoque feramus. Leidæ. VIII. Kal. Iun. ∞. Iↄ. LXXXIII.

EPIST. XLIV. Antuerpiam.

GASPARI SCHVERMANNO IC. S. D.

LITTERAS *tuas, mi Schuermanne, libens vidi: at nondum sororem. quam ne frustra mihi commendaueris efficiam, si quâ in re operâ meâ illi visus. Constantiam nostram quòd laudas amasque, gaudeo: complecti magis te velim & amare virtutem ipsam. quâ certè in omni æuo, & hoc nostro inprimis, opus. Hostis, vt audio, vicinus vobis, perfidiâ eorum in quibus nunquam fuit critique fides. quâ vt trutina in eam partem vergit, in quâ plus ponderis; sic ipsi in eam, vbi plus æris. Pestis iam olim & calamitas nostri fundi, sed quî auertas? cùm etiamnunc immixti nobis, nec longè à clauo, quibus idem morbus. Ambitio aut Auaritia multa regna & oppida euertit: vtinam ne vtraque hunc Belgicæ statum! Hortaris me vt iuuem. votis possum, non consiliis. quis enim audiet? Publicè dico. at priuatim si quosdam possim erigere, & in singulis ciuibus de totâ patriâ bene mereri, non immunis hæc mea quies. Conati id sumus in postremo hoc scripto, & conabimur porrò, si Deus mihi dat vitam. Nam otium ipse mihi parabo, etiam in æstu negotiorum. Gabrieli Rolandio adfini tuo velim ex me nuncies beneuolam salutem. Verè eum amo & æstimo inter paucos meos Belgas. Vale. Lugduni Bat. postridie Non. Nouemb.* ∞. IↃ. LXXXIII.

EPIST.

EPIST. XLV. Toletum.

ANDREAE SCHOTTO.

CARVISSE *me alloquio litterarum tuarum tamdiu, mi Schotte, non re solùm, sed cogitatione molestum fuit. Illud, quia priuari voluptate eâ mihi durum: istud, quia trahebatur animus hoc silentio in varias suspicionum partes. Quid censerem? mutatum esse te? non fidei tuæ videbatur, non amoris. Offensum? verebar. vtique cùm oculos flecterem ad illum, qui non mihi, non bono cuiquam bonus. Sciebam litteras te crebrò commutasse cum eo & sermones: sciebam & hominem duplicem, cuique (sed non mente Ennij)* plures linguæ & plura corda. *In aliis didici, quàm illi volupe disiungere & soluere, qui mihi iuncti. At rursum tuæ prudentiæ videbatur, non temerè ei credere, qui aliarum rerum apud te sæpe vanus. Et, vt video ac gaudeo, haud planè credidisti. Litteræ hæ tuæ mihi testes, scriptæ ex veteri more & amore. nam binas alteras, quas dedisse dicis, non vidi. Istæ me delectârunt, & te mihi restituerunt, me tibi. De mansione in Toletanâ vrbe & in illustri domo, gaudeo. eò magis, quoniam splendorem hunc cum fructu video, nec interiora illa tua studia interpellari aut abrumpi. quod sæpe in illis aulis. Senecam patrem quòd paras, approbo. Vnicè me sapientia in filio delectat: in patre comitas, lepos, & facundia quædam simplex. Sanè Controuersiarum illi libri mirificè non corrupti solùm, sed abrupti. Atque opus in elimandis ingenio meliore, sed inprimis libro, quem valdè veterem & integrum si repperisti, vt ais, apud Couarruuiam: vtere, sodes, & adnitere. nos*

iuuabimus in parte. Nam quæ notata mihi, quidni transmittam libens? De Lanoij nostri morte, valdè mihi acerbum. Amabam adolescentem altæ indolis, niuei pectoris: & destinabam eum olim in corruptâ hac nostrâ nobilitate velut gemmam. De Papio etiam, vt video, inaudisti: qui mersus Mosâ flumine, dum in eo iuueniliter ludit & natat. Sed hæc tristia. illud lætius, quòd amicum mihi te interprete & tanquam parario conciliatum video Ant. Guarruuiam, virum à stirpe, à fratre, à se verè illustrem. Deus bone, quæ illa ad me epistola! mentior, si ab aliquot annis litteras vidi magis litteratas. Imbutum profectò arcanâ doctrinâ pectus illud oportet, quod promit tam docta. Quid ni ita iudicem? facilè nobis ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γνώσκειν. *Veterani venatores ceruum ex impresso vestigio dinouerint: ego ex scriptiunculâ virum. Saluta quæso à me: & quoniam te serente & sub tuâ velut manu hæc amicitia surrexit, effice vt eodem te irrigante, augeat & crescat. Libellos nostros misimus, & in his Electa: in queis reperies amicam memoriam tui. Iure. quia amamus te, & æstimamus: quod velim à te mihi fieri, alterum certè. Vale. Nonis Iuliis* ∞. IϽ. LXXXII.

EPIST. XLVI. Vltraiectum.

EVERARDO POLLIONI S. D.

LITTERAS *tuas & adiunctum carmen, Euerarde, legi lubens. Alteræ memoriam mei, alterum diligentiam tuam testabatur: quam te non remittere in ipsis remissionibus, lætor. Et ita te dignum est. quid ætatis sis, vides. in hoc vere, nisi virtutis doctrinæque feceris sementem,*

frustrà

frustrà cùm æstas erit, exspectaueris fructum. Indoles tua ingeniumque ad alta te vocant, & sæpe Homericum illud instillant —— *Παντοίης ἀρετῆς μεμνῆσθαι. *nec nos monitores tibi defuimus aut doctores. Nisi sequeris & adsequeris, præter ipsum te, quem culpes? Feriæ nostræ finem habent cum ipso Caniculæ fine. Sub id igitur tempus te exspecto: sed ad Valerianum scitum.* Vegeta ingenua quò plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. *Vale. Lugduni Batauorum* VI. *Idus Sextil.* ∞. IↃ. LXXXI.

* *Omnis virtutis memor esto.*

EPIST. XLVII. Antuerpiam.

GABRIELI ROELANDIO IC. mitto salutem.

GRATAE *mihi tuæ gratiæ: quas tamen ita ad me mittis, vt ipse eas non dimittas. Habitant enim apud te illæ duæ: nec aliud pectus magis amant, scio, inter meos Belgas. Fama ita mihi antea dixerat: nec mentitam eam, firmant lepidæ istæ litteræ & litteratæ. Atque vtinam post hos nimbos lux & sol aliquis tranquillitatis, in quo apricari nobis liberè liceat, & sermones sæpe miscere, non solùm scripta. Voueo. quid sperem tamen nescio, cùm oculos deflexi ad hunc rerum statum: qui indies minus stabilis, & nisi à Deo aliquo fulciatur, (non enim fortasse à Gallo illo tibicine) ruet. Iani Gulielmi litteras accepi: paullo antè etiam librum Quæstionum. quem ego ita probo, vt negem aliquid melius in hoc genere vidisse ab aliquot annis. Rectam viam adolescens ille ingressus est: & ingenium in eo ac iudicium pariter magna. At tu mi Rolandi salue. quod*

vt mihi

vt mihi quoque magis magisque sit, litteris me tuis sæpe appella. Dousa, nisi fallor, scripturus est: quem scire debes tui peramantem. Adfinem tuum Schuermannum saluta. Lugd. Bat. Non. Maiis. ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST. XLIIX. Viennam

CAROLO CLVSIO S. D.

ET *salutem à te accepi, mi Clusi, & munera quæ Plantinus noster reddidit, bis mihi grata, quia & à te missa, quem tacito quodam sensu dudum amo, & quia missa in optatum mihi finem. Vis enim ea sanciendæ amicitiæ esse, & offers velut arras. quas libens accipio, & restipulor tibi sanctè ea fide & officiis cultum à me iri hanc nouam amicitiam, quæ inter vere bonos. Talem enim te scio, nec minus integritate & ingenua quadam virtute clarum acceptumque, quàm doctrina. Atque vtinam tempora aut conditio nostra permittant, minus longè vt absimus: non litteris solùm beniuolentiam hanc foueremus, sed alloquiis & aspectu. Sed istud quoniam non datur, nec fortasse citò dabitur (augescunt enim hæ turbæ, & in isto mari cotidie maiores fluctus:) quod relictum est alterum amplectar, & te amicissime Clusi per chartaceum hoc æquor (vt cum poëtis loquar) sæpe adibo, sæpe salutabo. Vale. Lugd. Bat. Non. Maiis.* ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST.

EPIST. XLIX. Antuerpiam.

IOANNI VIVIANO S.

VTRVMQVE *libellum carminum tuorum accepi, mi Viuiane: gratissimum mihi & argumento & tersâ (ita sentio) versione. Sciunt experti, quàm arduum sit in talibus & mentem scriptoris exprimere, & non abire à proprietate aut venustate prisci sermonis. Quod vtrumq. egregiè es adsecutus. Atque meo voto, vtinam poëtæ nostri alij laborent in similibus argumentis: quibus non oblectari tantùm animi possint, sed instrui & iuuari pietas & mores inseri, qui nimium exsulant ab hoc æuo. Itaq. Prouerbia eiusdem regis, hortor te, accelera & vrge; quibus ne in externâ quidem sapientiâ melius aliquid apud omnes Sapientes. Otium nónne adest? Mercurius certè vester non calet. Mars vobis ante portas, & hactenus non nimis felix. Deus tamen ille noster iuuabit: quem bonum & propitium semper scimus bonis, vtcunque externa ista cadant. Remitto muneri Constantiam nostram recusam, cum Epistolæ nouæ additione ad Lectorem. Dousæ non libellos tuos offerre potui, non salutem. abierat enim à nobis in Angliam peregrinandi caussâ. De loco Iosephi nihil mihi in mente, præter adsentiri Ortelio. Sed nec in Serrato nummo iuuo multum: de quo tamen quid sentiam, iam dixi in Notis meis ad Tacitum. qui tantùm non absolutus. Vale mi Viuiane, & pariter me ama. Lugduni Bat.* ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST. L. Lugd. Batauor.

IANE HAVTENE

*A LIPSIO tuo salue. Suaues herè conuiuas habuimus (auribus enim meis inerrat ille sermo) elephantos. Multa de ingenio eorum deque mirâ indole garriuimus: omnia iucunde, nisi quòd in plerisque indignabar haud plenam mihi esse fidem. Quid censebatis? madidum esse me? non fui. Quin siccus nunc & sobrius ingeram tibi eadem: & laudum hunc campum stilo paullò certiùs decurram, quàm linguâ. Nónne Hilarium isti dies sunt? lubet ludere hunc lusum. Sed fides mihi prius stabilienda veterum, quibus præcipuè innisa mea fides. Nonnemo enim eam herè eleuabat: & nimios harum rerum aiebat fuisse, aut vanos. Itáne? quibus igitur hæc res notior? Nobísne, qui omni hoc nostro æuo vix * vnum vidimus, eumque pusillum, iuuenem, bonarum artium rudem: an illis, quibus cottidiè bellua ea in ore, in oculis? quibus tam crebra de ingenio & moribus eius pericula facta, in bellis, in ludis? Habebant enim & docebant magnâ curâ, Afri, Asiani, Græci, ad prælia: Romani magis ad spectacula & Venationes. Quanquam Europæis tardè sanè innotuit, & * ἐλέφαντας (Pausaniæ verba sunt) πρῶτος τῶν ἐκ τῆς Εὐρώπης Ἀλέξανδρος ἐκτήσατο: qui victâ scilicet Indiâ, intulit siue immisit. Sed ab eius tamen morte statim crebri: & transportauit in Italiam ipsam Pyrrhus, bello quod cum Romanis. Hinc quoque iam Romæ nobiles. & magis per Punica bella: quibus tanta copia, vt vno tempore centum quadraginta duos ceperit & in vrbem miserit L. Metellus. Nam (ut ait Vitolaus apud*

* Illum, qui anno LXXI. donum Cæsari missus ab Hispaniarũ rege.

* *Elephantes primus inter Europæos Alexander habuit.*

apud * *Plutarchum apertè mendax, qui à Paullo Æmilio, bello Pyrrhi, centum sexaginta Romam missos vult, & quidem turritos. At posteà sanè Romæ semper: siue capti, siue magis pretio parati ad populi voluptates. Vides initia, vides frequentiam. quæ magis expressa apud Plinium: quem, si voles, lege. De fide igitur veterum cur ambigimus? Nonne nouerunt hoc animal: intimè atque optimè. An fallere nos voluerunt de compacto? nec potuerunt quidem, in re cottidiè omnium oculis sensibúsque expositâ: & in quâ miracula milleni aliquot homines simul viderunt, id est theatra tota. Ista ipsa ætas fidem fidei illorum struit, etsi in alio illo orbe. Lusitani nauigationibus suis terras eas aperuerunt, in quibus animal hoc crebrum. Insula Madegascar eos habet, & quidem Indicis maiores. habet Zeilam, vbi venales sunt miro modo. ad mensuram enim admetiuntur, vt pannos, aulæa, telam: tanti palmos singulos. ita cum magnitudine pretium crescit. Habet prouincia Malabar, Goa, & tota illa ora. itemque regnum Benamen inferioris Æthiopiæ, omnes (quod notes) albos. Qui adierunt, qui viderunt: eadem aut similia narrant de ingenio bruti huius non bruti. Quæ vt seriò aliquando noscas ac credas: cape à me de naturâ eorum & moribus. quæ nihil aut paullùm ab homine abire, miretur aliquis imò indignetur. Sed prius vniuersè commemorabo elogia de iis veterum: inde facta ipsa distinctè, & exempla.* * *Aristoteles inter alia de elephante:* ἔστι δὲ τὸ εὐαίσθητον, καὶ τῇ συνέσει τῇ ἄλλῃ ὑπερβάλλον. est autem apprimè bonis acutisque sensibus, & cetero intellectu excellens. * *Cicero:* Elephanto belluarum nulla prudentior. * *Idem:* Elephanti acutissimis sensibus. *Quin Homini ipsi adiungunt passim.*

*In Parallelis.

*Lib. IX. Hist. cap. XLVI.

*De Natur. deor. III.

*De Diuinat. I.

Cicero:

* Epist. ad Marium. * Lib. xv. * Lib. II. De Vita Apoll.

**Cicero:* Esse illi belluæ quandam cum genere humano societatem. * *Strabo:* ἐγγὺς ἐστὶ λογικῷ ζώῳ. ad sidere animali ratione prædito. * *Philostratus:* τοῦτο γὰρ ζώων δεύτερον ἀνθρώπου τάττω, κατὰ ξύνεσίν τε καὶ βουλάς. hoc enim animal proximum ab homine loco, prudentiâ & consilio. *Plinius:* Animalium maximum elephas, proximumque humanis sensibus. quippe intellectus illis sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumque quæ didicêre memoria, amoris & gloriæ voluptas: imò verò, quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas, religio quoque, siderum solisque ac lunæ veneratio. *Et Plinius sanè effusè: tamen verè. ad cuius accuratam laudationem videor non ineptè diducere posse & adducere lecta mihi testimonia aut exempla. Tribuit primò,*

Intellectum sermonis patrij.] *Quod mireris. Nam cùm duo velut limites sint, quibus Hominem à Bruto dispa-ramus, Sermo & Ratio: prior iste vide quàm vacillet. Sermonem patrium ait ab iis intellegi: id interpretor, Indorum, Æthiopum, Afrorum, & vbicunque nati. Præter Plinium,* * *Ælianus:* συνιᾶσι γὰρ ἐλέφαντες καὶ γλώττης ἀνθρωπίνης τῆς ἐπιχωρίου. capiunt & humanum sermonem elephantes, sed indigenam. *Etiam* * *Dio:* ἤδη καὶ ἐκεῖνο εἶπον, τῆς φωνῆς τῆς πατριώτιδος αὐτοὺς ἐπαΐειν. Et iam hoc aiunt, eos patriam vocem audire atque intellegere. *Nec alia res certior. Institutionem eorum vides? linguâ fit. Domituram? linguâ. Incitationem, reuocationem? linguâ. Denique vt clauus nauim: sic animal hoc impellit dirigitque quò libitum humanus sermo. De institutione,* * *Ælianum audi:* Docentur, *inquit*, atque instituuntur ad varia φωνῇ τινι ἐπι-

* Lib. IV. cap. XXIIII. * Lib. XLIIX. * Lib. XIII. cap. XXII.

τινι ἐπιχωρίῳ, ἥπερ ὧν ἐπαΐειν εἰλήχασι, φύσει τινὶ ἀπορρήτῳ καὶ μάλιστά γε ἰδίῳ τοῦ ζώου τοῦδε, sermone vernaculo, cuius mito quodam & ineffabili modo ac velut peculiari naturâ sunt capaces. *De domiturâ*, * *Strabonem*: Primùm, *ait*, captos vinclis ac fame domant, μετὰ δὲ ταῦτα πειθαρχεῖν διδάσκουσι, τοὺς μὲν διὰ λόγου, τοὺς δὲ μελισμῷ τινι καὶ τυμπανισμῷ κηλοῦντες, deinde cicures eos reddunt mansuetosque, hos sermone, alios cantu aliquo aut tympani sonitu delinientes. *De regimine toto: cottidiana olim exempla in bellis, in pace. atque item hodiè. Quin furere etiam cùm incipiunt & à se abire, ad mentem reducuntur oratione. Credere ita seriò Christophorus Acosta me iubet: cuius assertioni praestruenda breuiter fides. saepius enim testimonio eius vtar. Is gente Hispanus, ad nouum illum orbis tractum abiit, quem Orientalem Indiam vocamus. Diu illic egit, lustrauit, scripsit: & inter alia, de elephantis non pauca, visa sibi aut à visoribus accepta. Crebrum enim valdè & cottidiani vsus animal in iis locis. Is igitur* * *refert: Genere morbi tentari elephantos quotannis, quod haud distat à* * *furore. caussam, amorem esse, & venire cùm venit ad eos Venus. Tum bacchari eos, furere, laedere, incurrere: nisi quidem vinclis coërceantur. quod fit ab incolis studiosè.* Sed eum morbum haud fermè aliter tolli, quàm pharmaco verborum. Adsistere belluae magistrum, increpare acriter, & ostendere foeditatem. Tantámne belluam & reginam aliarum ita dementire per adfectum? Vilitatem eam esse, degenerationem à naturâ & à stirpe. Rediret ad sese, & conculcaret amorem, qui turpiter ipsum. Et his talibus, quae etiam homini vtiliter adhibentur, fieri medicinam.

* Lib. xv.

* In libello De Aromatibus.

* Plinius & Aristoteles meminère eiusdē morbi. sed Plinij locus malus, cui corrigendo non hic locus.

nam. *Quomodo autem possunt ista, nisi si non audit solùm, sed imbibit, & caput? Nec verò, vt aliquid mirius dicam, audiunt solùm sermonem, sed edunt. Oppianus disertè Elephantos colloqui inter se vult.*

Φήμη δ' ὡς ἐλέφαντες ἐπ' ἀλλήλοις λαλέουσι,
Φθογγὴν ἐκ στομάτων μερόπηΐδα τονθορίζοντες.

Fama est inter sese sermonari elephantas,
Distinctasque susurrare atque emittere voces.

Acosta ille idem nihil certius in regno Malabar esse ait, quàm quòd hæ belluæ communicent inter se sermone. Denique vis in hac re aliquid mirissimum? (ignosce. tanta nouitas egebat nouo verbo.) edunt & loquuntur etiam humanam vocem. Boues inter prodigia Romæ locuti olim? iunge & elephantem. Atque audi ipsum Acostam. Erat, *inquit*, in vrbe Cochin elephas, qui operas diurnas præbere solitus ad portum & res marinas. Eum fortè iam fessum vrgebat nihilominus vrbis eius Præfectus, vt Liburnicam quam commouere cœperat, deduceret porrò in mare. Ille abnuere. instare alter multis blandisque verbis, & ad extremum in gratiam Lusitani regis vt id vellet, orare. Hîc (immane dictu) elephas motus, clarè hæc duo verba ingeminat, Hoö hoö: quod Malabarum linguâ est, Volo volo. ac sine morâ nauim traxit in mare. *Trepidas ad hæc & nutas? Age, age, mouebo tibi in isto exemplorum mari magis maiores fluctus: & ambiguum relinquam, non dicam an hominem capiant, sed ad hominem imò supra hominem sapiant elephantes. Dixi enim de priori limite, qui discriminat obscurè: alterum vide, Rationem. quâ ego omnino carere me fateor, si prorsus ille. Audi igitur è Plinio, quæ huc spectant. Ait:* Imperio-

Imperiorum obedientia.] *Clara, & quam nemo neget. Semel domiti, omnia ab homine, & pro homine perferunt: & tanta illa moles vel à* * *pusione regitur ac dirigitur tredecenni. idque sine vi, bacillo tantum* (καλαύροπι *in Philostrato scriptum) aut* * *leui ferro. Et quid non imperentur? etiam iugum subière, & traxère currum. Oppianus id tradidit, & Romæ primus ostendit Pompeius, ac posteà sæpe Principes secuti. Nummi docent. Tertia in Plinio laus,*

* Philostratus tradit, lib. II.

* Falcem siue δρέπανον Aristoteles Elephantis attribuit: Ælianus eâdem mente ἅρπην.

Eorum quæ didicere memoria.] *Tenax sanè memoria, & ad humanam, vt mox dicam. Sed ingenium Plini cur omittis? Præuaricaris in hac caussâ: quia si vlla propria & magna iis laus, hæc est acuminis & ingenij. de quo, te silente, non ego silens. Ingenium igitur iis docile, facile, flexile, aptum ad omnes artes. & artes Belli dico, siue Pacis. Quod vide mihi & disce è paucis his effectis. Ac de bello, quis non ingenium eorum admiretur: siue cum belluis pugnam, siue in homines iussu hominum habent? Dirigunt enim velut* * *consilio aciem, defessos aut infirmos in medium agmen recipiunt, in* * *fugâ ipsâ suos non deserunt, sed gregatim abeuntes circumdant & propugnant. Iam læsis medicinam faciunt: spicula aut infixa tela leniter manu suâ extrahunt, & vt* * *Plutarchus ait,* ἄνευ σπαραγμοῦ ῥᾳδίως καὶ ἀβλαβῶς, sine conuulsione & sine damno, *prorsus vt* * *peritissimi chirurgi. Quin & proprium medicamentum, aloës lacrimas, instillari vulneribus ab iis, Philostratus adseuerat. At pro homine quis homo nescit acres eorum pugnas? Instituuntur velut milites ad prælia, bellatores non dorso solùm ferunt, sed & ipsi bellant: propugnant suos, impugnant hostes: denique eò veniunt, vt munia etiam*

* Plin. VIII. cap. VII. Ælian. VI. cap. LVI.

* Ælian. VII. cap. XXXVI.

* Libello, πότερα τῶν ζώων.

* Ælianus libro VII. ὥσπερ χειρουργίας ἐπιστήμονες.

*Lib. XIII. cap. XXII.

ma etiam omnia militaria vsurpent.. Ælianus quidem mihi auctor*, Elephantos decorè etiam motus bellicos edere: ex iis viginti quattuor Indorum regi adsistere, & excubias agere, vt fidissimos quosdam corporis custodes. atque ita agere, vt alternis in stationem succedant, sine somno quidem aut conniuentiâ oculorum. *Aperitissimo milite, dic sodes, quid aliud exspectes? Iam quanta fides eorum in dominos, quàm ad extremum spiritum pro iis pugnent, satis tibi claruerit vel ex vno elephanto illo Pori. qui decantatus: & ab eo disce omnes.* Hæc de belli artibus. *At in pacis, quid hominem doceas, quod non istos? Quorum tanta in discendo (*Æliani verbis & sententiâ vtar)* * εὐπείθεια καὶ εὐκολία, *vt eas disciplinas artesque hauriant, quas ægrè homo ipse. Circa corpus, circa animum hoc considera. De corpore: conformant id ad omnem ex arte motum aut gestum. Ingeniculare, submittere, & adorare reges docentur.* * *Aristoteles:* πολλὰ γὰρ καὶ παιδεύεται καὶ ξυνίησιν. ἐπεὶ καὶ προσκυνεῖν διδάσκονται τὸν βασιλέα. multa erudiuntur & sciunt. quando & regem adorare condiscunt. *Saltare etiam & choreas ducere.* * *Plutarchus:* ὀρχήσεις τε μανθάνει, καὶ χορείας, καὶ προσκυνήσεις. saltationes discit, & choræas, & adorationes. *Ad scopum iaculari, armis vti, natare. Strabo:* οὕτως δὲ εὐπειθεῖς εἶναι, ὥστε καὶ λιθάζειν ἐπὶ σκοπὸν μανθάνειν, καὶ ὅπλοις χρῆσθαι, νεῖν τε κάλλιστα. adeò autem mansuescere, vt & lapides ad scopum iacere, arma vsurpare, & natare optimè discant. *Vbi tamen* τὸ νεῖν, *siue Natandi verbum mihi anceps: quia nec alteri id traditum, & alienum à naturâ elephantis qui aquas profundiores horret. Ventilare, gladiatorios militaresque motus edere docentur.*

*Lib. IX. cap. XI.

*Obtemperatio & facilitas.

*IX. Histor. cap. XLVI.

*περὶ τύχης.

Plinius:

Plinius: Vulgare erat arma per auras iacere, non auferentibus ventis, (*ut scilicet iterum iacta reciperent.*) gladiatorios congressus edere, aut lasciuiente Pyrrhice colludere. *Denique in theatris eos gestus effingere, quos vix Pylades aliquis aut Bathyllus.* * *Plutarchus:* ἐν τοῖς θεάτροις ἐπιδείκνυ(ται) σχημάτων εἴδη καὶ μεταβολάς, ὧν οὐδὲ ἀνθρωπίναις μελέταις τὸ ποικίλον καὶ περιττὸν ἐν μνήμῃ καθέξει γενέσθαι πάνυ ῥᾴδιόν ἐστιν. in spectaculis ostendit elephas eas gestuum figuras & varietates, quarum copiam atque concinnitatem difficile sit humanæ vlli industriæ exprimere aut memoriâ complecti. *Itaque & funambuli elephanti reperti sunt, irrisum vobis herè & explosum.* * *Plinius:* Postea & per funes incessere. * *Iterum:* Mirum maximè, & aduersis quidem funibus subire, sed regredi magis, vtique pronis. *Quorum verborum mens: quòd & ascendant per extentos funes aduersi: & regrediantur etiam per eosdem proni.* * *Seneca:* Elephantem minimus Æthiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem. *Suetonius Nerone:* Notissimus eques Romanus elephanto insidens per catadromum decucurrit. *idest, per funem in theatro extentum; interprete Dione de hac ipsâ re:* Καὶ ἐλέφας, *inquit*, ἀνήχθη ἐς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἀψῖδα, καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ σχοινίων κατέδραμεν ἀναβάτην φέρων. Elephas ad superius theatri fastigium conscendit, atque illinc per funes decucurrit sessorem ferens. *Quod genus spectaculi primum exhibuisse Galbam, qui posteà Imp., Suetonius idem monet:* Prætor, *inquit*, commissione ludorum Floralium nouum spectaculi genus, elephantos funambulos dedit. *Et quæ frons vltrà obduret contra tot*

L *& tales*

* Libro, πότερα τῶν ζώων.
* lib. VIII cap. II.
* Eodem lib. cap. III.
* Epistolâ LXXXVI.

& tales testes? Atque hac tantâ curâ & intentione discunt (id quoque valet ad vim testandam & indolem acrem animi:) vt sæpe deprehensi sint noctu velut dictata sua ruminantes & meditantes. Plutarchus cum Plinio mihi auctor. quemdam tardioris ingenij, & verbis verberibúsque malè sæpe acceptum, inuentum ad Lunam gestus illos & motus præscriptos exercentem. Grandia hæc, grandia: tamen de illis artibus quid dices, quæ non nisi propriæ videntur humanæ mentis? Legere aut scribere, quis ab homine seiunget? ego: nisi si elephas inter eos. Nam is quoque scribit. Rides? time potius. æmulus repertus muneris tui, & tuæ artis. Plinius è Muciano clarè adfirmat. quemdam Græcas litteras pingere didicisse, eâque linguâ scripsisse IPSE EGO HAEC SCRIPSI ET SPOLIA CELTICA DICAVI. *Et Philostratus:* Scribunt igitur, atque tripudiant, & ad fistulam saliunt.

* Libro II. Var. cap. XI. *Quod si hos duos testes eleuas (herè ita memini) * Æliano quid facies, qui oculis suis id spectasse penè per oculos suos iurat?* Vidi, *inquit*, ego ipse quemdam in tabulâ litte-

* ἀτρεμῶς ϗ ἀτρέπτως. ras Romanas promuscide scribentem, * rectè & non contortè. Quinetiam cùm scriberet, oculi eius cum rigore deiecti in tabulam erant: vt planè intentos diceres & scriptitantes. *Sed iam concludam hæc de artibus, insigni & nimis certo exemplo, cuique milleni aliquot oculi spectatores: munere, quod Romæ publicè dedit. Germanicus*

* Cap. II. * Libro II. cap. XI. *Cæsar. * Plinius tangit, & magis vbertim narrat * Ælianus: exque iis ego.* Ludis igitur illis, Tiberio Principe, duodecim elephanti theatrum inducti sunt siue Circum, induti floridas & histrionias vestes. Ac primùm ad vocem Magistri diuidebantur in diuersas

Circi partes, inter eundum molli & saltatorio gressu inundantes: iterumque ad eandem vocem coïbant, & efficiebant saltatorium quemdam orbem. Sed & flores spargebant & corollas, & ad cantum terram pedibus leniter & numerosè pulsabant, & omnia præstabant quæ peritissimi ludiorum. Iam iidem (quod insanum mirum) docti mensas accumbere, cibum potumque sumere, parcè, modestè, ordine, humanum in modum. Lecti erant humiles, (*agnoscis Romanum ritum*) instrati purpurâ & aulæis. mensæ ad eos, vario & dapsili instrumento. disposita pocula aurea, argentea, minuta, grandia: cibi in lancibus, panis, caro, fructus. Ecce ingressi duodecim elephantes, sex mares, totidem fœminæ: illi togati, hæ stolatæ. Decorè & verecundè in lectus se reclinant, mensam accumbunt. tum signo dato (non enim antè) in mensam promuscides siue manus suas extendunt: summâ modestiâ cibos capiunt, delibant. non voracitas vlla in iis, non auiditas visa, non maioris meliorísve partis appetitio, præreptio. denique cùm bibendum, pateram pueri porrigebant: iique promuscide eamdem genialiter hauriebant. & (*iucundæ potioni hoc adnexum*) reliquiis vini circumstantes aspergebant, velut cottabum facientes. *Hæc meis verbis texui, sententiâ germanissimâ Æliani. Et effare. potuítne spectaculum magis ad Gratias, ad Venerem, ad Naturam? cui vtinam his oculis arbiter paullisper ego! id mihi ante omnes theatrorum opes, luxum, nugas. Atque hæc nisi promptissimi cuiusdam & acutissimi ingenij signa sunt, tardus valdè & cæcus ego. Quid illa, quæ non à doctrinâ insita sunt,*

abundans.

sita sunt, sed emicant & subsiliunt naturæ ipsius sponte? Cuiusmodi spectata in iis sæpe ad prodigium usque sagacia & acuta. Quale illud * *Plutarchi*: In Syriâ elephas quispiam alebatur. seruus curator additus, cottidiè de dimenso subtrahebat, & dimidio belluam malo furto fraudabat. Fors fuit, vt hero præsente cibum daret: & admensus igitur est totum. Elephas vt iniuriam diu sibi factam, quà posset, detegeret, accuratè hordei partem separar: dimidium sibi seruat, altero repulso. *quid nisi clamans, callidissimo inuento, illud diarium sibi hactenus fuisse?* Alius *(refert idem scriptor)* cùm rudera & terram magister ad explendam mensuram pabulo identidem misceret: fraude fraudem hanc vltum iens, in ollam eius carnium plenam, è foco correptum cinerem iniecit. *Sed exemplum quod ab Acostâ, fidem omnem superat, etsi ex fide. Palàm enim & spectante populo res gesta est.* Elephanti cuidam in vrbe Cochin ad horam cibus non oblatus. Queritur, & barrit. Magister excusat, & vas æneum eius cibarium ostendit perfluens & pertusum. caussam hanc moræ esse, quòd cibi non vltrà tenax. iubet igitur, si esse velit, ad fabrum ærarium ferat reconcinnandum. Ille paret. promuscide aufert, fabro offert. Faber siue per neglegentiam, siue ludos belluam faciens, infideliter reparat atque obstipat. Elephas refert. Herus vitium videt, & indignatur. inclamat illum absentem, hunc præsentem. denique redire iubet cum illoipso vase. Facit. & fabro quetulus impingit. Ille homo suauis iterum imponere conatur, & admoto malleo claudere rimam simulat, non claudit.

* Libello, πότερα τῶν ζώων.

reparare,

claudit. Nec tamen imponit. Nam ille catus lebetem resumtum ad flumen defert, immergit, & aquâ implet periculi faciendi caussâ. Videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrum recurrit, intonat magnâ voce. Confluunt vicini, & inter eos Vicarius regis. Faber blandis verbis demulcet (*nescio an vltrà audeam dicere*) belluam: vas denique sumit, & refingit probè atque ex fide. Sed ille ne tum quidem fidens, iterùm ad flumen, & ad haustum. dum contineri aquam videt, vertit se ad adstantes & ostendit, velut testes eos aduocans in hoc factum. ita demum abiit domo. *Quid addam? nec verbum: quia reuera datus sum in stuporem. Et cur iam* * *Æliano non credam, qui iure optimo duplex cor tribuit tam cordatis? Sed satis ad ingenium ista: redeo ad Plinium meum, qui suggerebat* * Lib. XIII III. cap. VI.

Memoriam.] *Ea autem pars tam magna in hoc animante, vt homini non dicam nihil cedat, sed eum excedat. Vnum exemplum vetus dabo, pauca noua. Michaël quidam Glycas inter Græcos, Annales scripsit haud improbè nec indecenter. Is in parte primâ prodidit:* Elephantum quemdam cùm in Circum deduceretur, sedentem in foro ad Milliarium aureum Magistrum ferarum, subitâ irâ atque impetu interfecisse. Caussam non aliam violentiæ fuisse, quàm quòd ante annos totos decem, eodem illo loco, idem Magister, eumdem elephantum ferro percussisset. quam iniuriam tot annos recondens, tunc demum iit vltum. *Aliud ex Acostâ*: Miles quispiam in vrbe Cochin elephantum, per lasciuiam, in fronte putamine nucis percusserat: (*grandem illam Indicam intellego*: *quam incolæ*

Coccum appellant.) Elephantus putamen studiosè tollit: illud, atque iram, recondit. post dies plusculos, in viâ quapiam publicâ obambulantem militem conspicit. accedit, & elatum ex ore putamen, promuscide suâ aeriter in illum coniiecit. tum exultabundus abiit, quasi talione illâ iniuriam probè vltus. *Iterum ex eodem:* Miles elephantum in eâdem vrbe eum rectore obuium habuit. noluit decedere. elephas suam & rectoris contumeliam id interpretatur: vlcisci tamen à rectore prohibetur. Post dies aliquot, in ripâ Mangatæ fluminis (id vrbem alluit) militem fabulantem otiosè repperit. Cùm rector non adesset, corripit illicò hominem, in altum tollit. nec precibus nec clamore adstantium motus, aliquotiens flumine mersit, alleuans subinde & demittens. Cumque lusum eum satis diu lusisset, contentus hâc vindictâ, hominem vitæ suæ iam diffidentem, rectum & illæsum destituit eo ipso loco vnde sustulerat. *Sed hæc in deteriorem & vindicem partem Memoriæ exempla: ecce etiam in beneficam & benignam. Acosta idem mihi suggerit:* Elephantum in vrbe Goâ fuisse, qui annuo illo & solemni furore correptus catenas abruperit & vincla. Fugientibus omnibus, seruulum quempiam qui vlnis infantem dominicum gestabat in ædes properè irrupisse, oblitum sarcinæ quam deposuerat in illâ trepidatione ante ædes. Elephas adest. mortem omnes & obtritum pueri exspectant. Ille contrà manu suâ leniter attollit; in humile tectum, quod è regione ædium, colloeat; respectans curiosè, satine puer illic sine damno. Dein furibundus cursum suum exsequi-

exſequitur. Id datum omnes interpretabantur veteri beneficio; quia mulier earum ædium domina & infantis mater, elephanti tranſeunti ſæpius panem aut fructus obtulerat. *Et alia quædam legere tibi fas, ſi lubet apud eumdem Hiſpanum. Ego in Plinio pergo, qui admonet*

Amoris.] *Quod ipſum iure mirum.* * *Nam ſicut Sermo & Ratio homini peculiaria videntur, ſic certi Adfectus. Inter quos ardus ille & varius amor, pro leni tormento ſoli huic animantium datus. Sed abnuit elephas, & hac quoque parte ſociat ſe nobis. Seriò enim amat. Trita & nota* * *historia eſt illius qui Ariſtophani Grammatico præbuit ſe riualem.* Vterque enim Alexandriæ in Ægypto corollariam quampiam amauit. nec minus ſtudij aut ingenij elephanto fuit ad declarandam & mitigandam ſuam flammam, quàm illi acuto & litterato. Forum, in quo ea deſidebat, crebrò adire: adſiſtere, ſuſpirare, poma aut flores offerre: manum intra ſinum blandè penetrare: & ea omnia, quæ Venereus aliquis nepos. *Alia ſimilis in* * *Æliano.* In Antiochiâ vrbe Syriæ, elephas inter cicures more ſuo ad paſtiones iens, vidit fortè mulierem haud inſcitam, pariter corollariam. Vidit, periit. Aſſiduus ille apud eam, promuſcide faciem, manus, lambere, tergere; & quacumque poterat, blandiri, inſinuare. Quin & illa redamauit, corollas & flores aliáſq. amoris illecebras ſæpe offerens. Cùm perſeueraſſet mutuus hic amor, mulier ecce ad plures abiit. elephas deſiderium non tulit, nec mentis ſuæ vltrà compos datus eſt in furorem. *Sed & honeſti fidíque amoris non deficiunt me exempla. Habe*

* Narrata Plinio cap. v. & Plutarcho, in libello, πότερα τῶν ζώων.

* Lib. VII. cap. XLIII.

* Athenæus, libro XIII. cap. XXX. Ælian. lib. X. cap. XIIII.

pla. Habe vnum. * Antigono regi elephas fœmina fuit. Euênit vt in obsidione opidi Megarensis, puerum pareret vxor Indi elephantistæ. Is suâ linguâ commendat infantem inter bellicas turbas elephanti (ita nomen eius fuit) Nicææ. Capit illa seriò in fidem: & omnia officia exhibet, quæ piissima aliqua nutrix siue mater. Infans ante pedes eius deponi debebat. nisi fieret, cibum non capere, iram omnibus signis ostendere & dolorem. Gaudere contrà, eo adiacente. & tum cunas mouere ad oblectandum, aut somnum conciliandum; tum ventilare & pellere muscas. quod faciebat sanè scitè, arundinis ramum promuscide suâ motitans. Atque hæc officia interdum etiam vsurpabat elephas maritus. *Pergit Plinius, & addit* Gloriæ cupiditatem.] *Qui sanè ipse affectus hominum proprius, & inter eos, animæ cuiusque maximè sapientis. Exempla eius in hac belluâ pluria. tu vnum vetus à Plinio cape, nouitium alterum ab Acostâ. Plinius:* Erat, *inquit*, Antiocho regi elephas, cui (ita enim hominum canumque exemplo distinguuntur) nomen Aiax. Is dux plerumque agminis, generosus, celsus, & velut rex in regio illo grege. Euênit vt flumen transmittendum esset. renuit infelix, & malâ suâ sorte Aiax. Pronunciatum enim illicò à Magistris, Principatum eius fore qui prior transisset. Intellexit, & arripuit Patroclus (& hoc elephanti alteri nomen) fluuiumque transmisit. Præmio igitur donatus est, phaleris argenteis, quibus mirè gaudent, ornatus, & velut in possessione positus principis loci. At Aiax noster properè ab hoc Vlysse circumuentus, fatum etiam quâ po-

quâ poteſt, illius veteris exſequitur: & mortem ignominiæ præferens, inediâ ſe confecit. *Acosta autem inſit: ſit:* In litore vicino vrbi Goæ tormentum grande æneum commouendum erat. conatur elephas: non poteſt. Inſtigante magiſtro & duos iuniores elephantes oſtentante, qui id facerent ni ipſe faceret: iterum iterumque conatur, tanto niſu, vt medius illicò creparet. *En! dum gloriam illam præreptum alteris iuit, miſer ſibi vitam. Sed proſequitur laudationem ſuam Plinius, & adiungit magis alta. Eſt enim, inquit, elephantis, quæ etiam in homine rara*

Probitas.] *Ergóne virtutes elephanto? virtutes. vt nequid ſcilicet ad perfectum omnibusque numeris hominem deſit. Et de probitate planè verum eſt. Innoxium enim, pudens & pudicum hoc animal: probæ mentis, probi oris. Vis ei vt omnibus noceat; vt nemini, voluntas. Homini occurrit?* vitam non adimit, oſtendit viam. Feræ alteri? tranſit. Quin niſi irrites & impugnes, nec in Arenâ quidem excitabis ad lædendum. In magiſtros rectoreſque ſuos mira illis pietas.* quos aliquando per calorem aut furorem interfectos, ita luxerunt, vt inediâ interfecerint ſeſe ipſi. Eadem in natos: quos,* vrgentibus venatoribus adeò non deſerunt, vt millies capi, cædi, malint, quàm ipſos. Adde reuerentiam in grandiores & ſenes. quibus de* loco, de potu, de cibo iuuenes concedunt, bonæ ſuæ Naturæ legibus non Lycurgi vllis minis adducti. Adde pudorem & caſtitatem. quia non niſi occultè & ſiluis tecti coëunt, & ſanè rarenter. Nam quod Plinius & ex eo Solinus prodiderunt,* non ampliùs quàm ſemel parere, nec plures ſingulis: *validè refutat ratio. quia ſi vnus ſaltem è duobus: iamdiu,*

* Plinius, cap. IIII.

* Strabo tradit, lib. XV.

* Ælian. lib. VII. cap. XV.

* Ælian. ibid.

minuente numero, defecerit id genus. *Ælianus tamen vsum Veneris semel item iis tribuere videtur. Sed ea ex Aristotele hausta, malè aut lecto aut intellecto. Nam* * *ille hoc tradit:* Marem quam semel inierit, non vltrà tangere. interposito tamen triennio coitum repetere, sed nimirum in aliâ. Fœminam vterum biennio gerere, parere singulos. *Strabo etiam de initu eorum & partu, magis cautè & verè. Adtexitur in Plinio.*

* Lib. VIII. cap. XVI.

* Libro V. Hist. Anim. cap. XIV.

Prudentia.) *Quam non dilato, satis mihi in. Acumine & ingenio dictam & doctam. Ostendunt tamen & hanc propriè in Acie instruendâ, in tardandis secutoribus fracto dente, in flumine transmittendo. quæ apud Plinium, Philostratum & Ælianum vide. Sequitur*

Aequitas.] *Quam in se, quam in aliis amant. Retegunt imò scelera, & alienas etiam iniurias vlciscuntur. Historiam Æliani duplicem te non celo.* * *Narrat Romæ euenisse, Imperatore Tito:* vt vxor elephantistæ malo iure cum altero mœcharetur. Videt elephas. non fert domini hanc iniuriam: irruit, & in ipso complexu, vtrumque dentibus transfigit. Denique prouidè ita copulatos relinquit, stragulo tegit. & cùm dominus aduenisset, stragulo reiecto facinus ostendit, & se vltorem. *Hoc pro magistro, sed probo. Narrat* * *iterùm in illum, sed improbum.* Fuisse magistrum elephanti, qui adulteraret. nec contentum furtiuâ libidine, vxorem suam clàm sustulisse, & ad præsepe elephantis sepelisse, alterâ illi mox inductâ. Elephantum hoc scelus tacitum non habuisse. vxorem nouam illuc traxisse, & cornibus pedibusque refodisse cadauer, tantum non rebus ipsis mulieri inclamantem cui, & quomo-

* Libro X. cap. XV.

* Lib. VIII. cap. XVII.

quomodo, innupsisset. *Extrema laus est*

Religio] *Quam veteres omnes tribuunt consensu. Lustrari aquâ, orientem solem ab iis adorari,* *Plutarchus & *Ælianus mihi auctores: Lunam nouam, *Plinius, & *Ælianus. Sed & hoc ad religionem, quòd mortuos è suo genere sepeliunt & prætereuntes iniiciunt humum. Ælianus ille idem hoc tradidit lib. I. cap. XLIX. Homines ecce, mi Hautene, elephantes feci, Sermone, Ratione, Adfectibus, Virtutibus præditos: quid superest, nisi vt etiam diuinos? Diuinant enim. & Oppianus de hoc animante dixit:* *Libello, πότερα. *Lib. VII. cap. XLIIII. *Lib. IIII. cap. X.

Μαντικὸν ἐν στήθεσσιν ἔχειν κέαρ.

Diuinum cor habere in pectore.

*additque præscire eos fatalem suam horam. *Dion amplius, scientiâ eos ornat cælestium rerum.* ἤδη γάρ τινες, *inquit*, καὶ ἐκεῖνο εἶπον, ὅτι πρὸς τῷ τῆς φωνῆς τῆς πατριῶτιδος αὐτοὺς ἐπαΐειν, καὶ τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ γενομένων συνιᾶσιν. Quidam hoc etiam aiunt, eos, præter quod sermonem patrium intellegunt, scire etiam quæ in cælo gerantur. *Sed inter quosdam illos, ne te fallam, non ego. Habes lusum, natum non importunè mihi ex hesterno lusu & ioco inter vina: cui vt seria multa & vera inesse nihil ambigo, ita quædam maiora vero: nec vsquequaque in his talibus veteres illos Fidei litasse, facilè tecum credam. Quis enim tam magni oneris sit, vt quidquid illi imponunt, vehat? Nec tamen mali quidpiam in istis, etiam falsis: quia innoxia mendaciola sunt, & volente deo Risu nata. Qui si te non aspexit dum hæc legis, iamnunc me imponente licet vsurpes cognomen prisci illius Crassi. Iterum salue.* *Lib. XXXIX.

EPIST. LI.

IANO LERNVTIO S. D.

IPSVM *pectus mihi commouit series malorum, quæ es passus. Heu homines, quid sumus? quid speramus? Atque ego sub idem illud calamitatis tuæ tempus, nescio quo instinctu, in Saturnalibus meis adfinxeram orationem tibi de incertis casibus vitæ. Sed benigno Deo gratia, qui concussit te, non deiecit: ostendit vulnus, & non impressit. Vtile enim, mi Lernuti, vtile, admoneri nos interdum à summo illo Principe & imperij illius, & fluxæ nostræ conditionis. Nempe quid est homo? lutum, vt ille ait, scitè mixtum: quid vita? hæmina vna sanguinis: quam quilibet leuis casus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Solus animus & eius actiones æterni. Vides pulcherrimum hoc mundi corpus? ruet aliquando. Vides hanc Belgicam nostram? iam ruit. ne indignemur interitum aliquot hominum, cùm cadauera futura sint cæli terrarumque. Saturnalia nostra credo te accepisse. primam dico partem, quæ De Gladiatoribus. Nam reliqui sunt aliquot libri, De Venatione, & Circo: in quibus etiam tuus sermo. Iudicia vestra liberè, liberè, velim adscribi: vt mutemus, si quid tale erit, iteratâ editione. Iubebo enim, si otium aut valetudo mihi constat, simul excudi omnia quæ ad ludos Romanos. Nunc molesti mihi quidam nomine Ordinum vt Grammaticam conficiam, quæ legi possit in Belgicâ vniuersâ. Ride, si sapis: & vide quàm bene de me & neruis meis sentiant isti. Apud vos miles, vt audio, & turbæ. Si ita est, quid si expedias te ab eâ vrbe, & secedas in hæc loca sub Neptuni regnum?*

regnum? Nam terrestres dij, parum nobis æqui. Cautè id fiat tamen, & circumspectè. Nam & apud nos nescio quid turbellarum, ab iis qui pax deberent esse mundo. at illi fax sunt. Vale mi suauissime, & aut me exspecta sub æstatem, si quies illic; aut ego te, si hîc. Vxorem saluta à me ex animo, & tua pignora dissuauia. Victorem nostrum silere ita miramur, vt suspicio sit ne & ille penetrauerit ad loca silenta. At tu eum saluta, & è veterno excita. Salutat te Dusa, Hautenus. X. *Kal. Feb.* ∞. IↃ. LXXXII.

EPIST. LII. Romam.

FRANCISCO BENSIO S. D.

DEVM ego testor, vir optime, vt in solo nomine tuo lecto exsilij: quanto magis in commemoratione amoris, quem integrum inuiolatumque seruari apud te cognoui! Ita enim ad me scribit P. Egmondus: quem certum mihi, amatum anteà, vel nuncij huius caussâ, magis amare. Non enim dissimulo. verus & vetus mihi in te adfectus est, hæresque mihi in arcano isto penetrali. Genus vitæ mutasse te audiui: quod salutare tibi futurum omnino confido. Et reuerà, mi Bensi, quid hæc humana sunt, nisi iactationes & fluctus? in quibus nihil firmum sit, nisi ad anchoram ea alliges veræ Pietatis. A me quoque abiit illa iuuentus: & vna mihi hæc cura, vt quidquid hoc est æui, in virtute & seriis iam studiis traducam. Publicè id testari cœpi: & edidi nuper De Constantiâ libros duos, qui pietatem (nisi fallor.) aliquam præferunt, etsi priscæ Philosophiæ velo. quos ad te mitto, non vt inspicias modò, sed iudices: & liberè me moneas, si quid exorbitans in iis aut minùs re-

ctum. Nec amantis adfectu iudicabis, sed ut apud Pindarum est,

* Βυλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδάμανθος.

* *Sententiis rectis & regidis Rhadamanthi.*

Hoc omnino peto. M. Antonium Muretum (ex animo dico) amo æstimoque. minus promptè id ostendo, quia multa in me ab illo non amica. Ita enim moneor litteris multorum. Quo meo merito? Nam ego te iudicem non defugio, qualiscumque ea est litis. Tacitum edidi. quid ergo? an illius? Quæ hic iniuria est, si campum eumdem Famæ decurri, sine fraude? Sed mihi iam ista non magna. & reuera pudeat me verba consumere in talibus rebus. Nati ad maiora & meliora quædam sumus, & ego & Muretus. Quem tu quidem à me salutabis, & animum hunc illi firmabis volentem semper eius & amicum. Ita me posteritas amet siue æstimet, vt ego illum. Constantiam nostram vt cum eo communices, volo siue iubeo: cuius exemplar etiam à me exspectet. iam enim reccuditur. De Amphitheatro ante paucos dies edidi: & mittam. Tu quæso me ama, & interdum solare & erige in his turbis omnium rerum. IX. *Kalend. April.* ∞. IƆ. LXXXIV. *Si quid ad me voles, mittes tutò ad Plantinum.*

EPIST. LIII. Romam.

M. ANTONIO S. dico.

CAVSSA *mihi scribendi nata ex tuis ad Plantinum litteris: quas cum gaudio vidi, cum motu animi legi. Vel in manu tuâ conspectâ lætabar: quanto magis in hoc animo, & tam insigni testimonio amoris? quem si à quoquam mortalium, à te certè volo. Ita adolescens iudicaui, ita nunc,*

nunc, consensum quemdam esse conspirantis iudicij nostri & naturæ. qui ad coniunctionem, quæso te, valeat, non ad æmulationem, aut, quod pudet me dicere, simultatem. Et fuêre tamen improbi homines, qui id sperarent: à quibus alia quædam ad me delata olim, non nego: sed vana, falsa, vt nunc video; & quibus caput, homines non professi solùm, sed vtrique nostrum infesti. Ea, per communes deos deásque, obliteremus mi Amice: & beneficiis inter nos certemus, non querelis. Electorum librum iamnunc vulgaui: paro Saturnalium sermonum, & De vitâ ac scriptis Annæi Senecæ. quem nec inuitus ad te miserim, quasi vadem amicitiæ coëuntis & sanescentis. Etsi quid in eâ ægrum? nec aliud peccatum vtrimque, quàm cessatione, & amicitiæ, vt sic dicam, inusu. Quod ipsum emendemus. Viximus amicissimè vnâ, viuamus porrò & moriamur. En ego ille, cuius ingenium & os coràm probasti: nec amorem absentis requires profectò aut fidem. Te vt eumdem sperem, faciunt paucula, sed impressa & signata epistolæ tuæ verba: quæ ruminor identidem & examino, vt solent amantes. Vale. Lugduni in Batauis, ad magnum & sine terminis mare. III. *Kal. Decemb.* ∞. IↃ. LXXXI.

EPIST. LIV.

ABRAH. ORTELIO S. precor.

PER *fidem, Orteli, vt tu vtrimq. largus es, & amando, & donando! Miseram ad te nescio quid munusculi nuper, Amphitheatrales meas nugas: tu rependis illicò & reponis, sed verum ampluḿq. donum* THEATRVM *tuum. Ad tutelarem Prætorem ibimus? Profundis enim tua, &*

quidem

*Immensâ mensurâ.

quidem valdè. ἀμέτρῳ μέτρῳ; cùm pro libello, libros; pro ludis, feria: pro orbiculis Arenarum, diffusum istum terrarum Orbem admetiris. & eumipsum in triumphali veste, purpuratum auratumque. Quid censes? donis magnis capi me? non magis quàm numina (si comparare fas:) quæ vt voluntatem solam in oblationibus metiuntur, sic ego. At ea in te magna: & ideò munus tuum iure mihi magnum. Vtinam hic quoque animus aliquà tibi liqueat! in quo acris flamma, sed per nullam occasionem erumpendi, adhuc clausa. Quod vereor, mi Orteli, vt breui quoque vestræ vrbi sit. Quæ enim istæ pontium moles, quas audimus? aut quid parat nouus ille Xerxes? Non ego* κέρκῳ σαίνων, cum Aristophane: (frustrà in aliis castris) sed maior & prudentior opinione nostrâ ille Princeps. Hoc ipsum opus quanti animi est? prisci & Romani. Ac compedes profectò Poliorcetes ille iniiciet indomito vestro Scaldi, nisi quid subueniant filij isti Neptunini. Batauos & Zelandos dico. qui tamen lentè accurrunt, nec vt ad socialem flammam. Heu κεάτηρ χαλκῶν! & salsa vobis vita, si aufertur hoc salum. Quid suadeo igitur? fugam. sed non ab vrbe, mi Orteli, aut solo patrio; tantùm à vulgo. Ad Constantiæ nostræ asylum te voco, & ad arcana illa Sapientiæ templa. Cuius te ectum si semel subis & penetras, tectum ego sarctùmque te habeo ab omni vi, ab omni hoste. Salus missa à Dudithio, Cratone, Monauio, mihi grata: quæ tres stellæ in vnâ iam vrbe, valdè illustrant Germaniæ illum tractum. tu quoque à me remitte. Viuiani nostri poëma vidi: valdè mihi tersum & probum. Sed Itinerarium vestrum quando ad nos? Ne preme. & quod boni prouidique patres, si tibi obsideri visum, emitte saltem hanc prolem. De* Chirio Fortunatiano, indagatio

*Caudâ blâdiens, siue adulans.

*Scripsit de Impp. olim. & exemplaria in Italiâ edita, sed perpauca.

anteà: sed nescio quomodo momentum hic magnum habet frons ipsa & ipse vultus. Euripides non vane mihi visus scribere, Non serenitatem nautis gratiorem in tempestate aduenire, quàm lugenti amico amicum. Sed & hoc breui, vt spero, fiet. intereà mi Leewi, firmare quæso paullum, & frigus illud tenebrásque dolorum calface & illustra ad Rationis solem. Ante omnia nouitatis opinionem hanc exue, quæ luctui tuo mala fautrix. Miserabili, inquis, genere mortis periit, & quod luctu municipium omne nostrum compleuit. Scio, & adfectu aspectúque primo ipse misereor. sed hic quoque paullùm te attolle, & secerne à vulgo. Quid illud miserabile? cùm omnia circumspexeris, Mori. Varia ad illam metam via fert, cliuosa, plana, breuis, longa: eadem tamen omnibus quies, cùm peruenêre. Tua per difficilem partum, & velut per nimbos fluctúsque delata est in Beatum illum portum: delata tamen. & præteritus labor adeò non grauis illi nunc, etiam gratus. Tu tantùm ne miserare, imò nec mirare. Scilicet id genus Fati non cadit in hunc sexum? non communis ille omnium prægnatium timor? Imò non crebriores alios sermones audias, si in consessum aut conuentum venias muliebrem. Attamen hic nostrûm omnium error: cùm triste aliquid accidit, etiamsi non nouum, habere id vt nouum. Per circumstantias quasdam augemus, polimus, & velut fucum ac lenocinium circumponimus dolori. Scilicet vt pulchrior in oculis appareat iustiórque. Peruersi mortales! contrà oportuit: & in omni casu oculos flectere ad communem dispersámque legem. Non Hagam solùm aut Batauiæ hunc angulum intueri, aut quid paucis ibi annis gestum sit: sed diffundere cogitationem per sola hæc terrarum. Conditionem tibi pono. Iure non

lugebis solùm, sed indignabere vt in nouo fato: nisi alibi terrarum hac ipsâ horâ idem ille aut acerbior casus. Et tamen cur peregrinere? reperies exempla eadem, si quæres, in finitimis istis locis. Quamobrem exsurge, & contra leuia ac lusoria hæc Doloris arma, arripe vera. Quid vita, quid mors, quid fatum sit, seriò cogita: scio placari posse implacabilem etiam dolorem. Quid enim hæc vita, quam eripi lugemus? ludibriorum scæna, miseriarum mare. per quod vt maximè ex voto tibi feratur nauis, tamen in multos scopulos impingas, multis vadis obhærescas necessum est. Quid ipsa mors, quam timemus? requies, gaudium, & vera vita. aut siquid in eâ mali, malis tantùm. Quid miseraris traductam ad hanc, optimam matronam, & per Fidem salutis suæ velut certam? Iam Fatum quid? æterna, ab æterno, in æternum, dei lex: quam adeò non abrogare fas, vt nec obrogari ei liceat aut derogari. Si ab æterno & immobilis: stulte, quid cum Necessitate pugnas? hoc vnum vinces, vt pluribus plagis contusus vincare. Si à deo: impie, quid quereris? Culpare non potes aliquid malum aut acerbum in eo & ab eo, qui Bonitas & Benignitas totus. Naturam eius si exprimere voles, non melius aut magis propritim expresseris, quàm per eas voces. Mortua igitur tua est? debuit. illo tempore, illo fati genere? debuit. Lex ita lata: quam frustrà solicitant & exagitant acumina hodie ingeniorum. Non enim mouebunt. Quin nos, qui sapimus, pareamus potius, & quod necessariò patiendum est, etiam libenter patiamur. Leuamentum aliquod miseriarum est, non reniti. Cur autem renitamur? Non Deus solùm est, qui ita de nobis statuit: sed & pater. Salutare igitur, bonum, prosperum: quidquid sensibus oculisque nostris aliter videatur.

no…
si ostium…
vulgarium op…
addere: iubebat ta…
& sanctus. Vale.

EPIST. LXI.

AMICO cuidam S. D.

IRASCI *debebam mi * *, si possem. Tu ne vt iter vllum susceperis, non dicam sine comite me, sed sine conscio? Hoc verum fuit? Pectus tuum roga: non dicet id esse pro veteri illo & fido inter nos amore. Caput meum hoc tango & testor, nullum mihi caput carius fuisse tuo. Quid autem suspicer? arcanam aliquam caussam huius consilij fuisse? non inquiro. Et si ea aperienda mihi non fuit totâ fronte, saltem vestigiis & sub personâ ostendenda. Ego te in meis rebus tale aliquid nunquam celassem. An subitò hoc tibi natum, & per mortem vnius illius viri? Hoc potius credo. quia reuera caussæ tibi temporanei alicuius secessus hîc non iniustæ. Noui collegas tuos, scio quibuscum res & consilia miscenda fuerint: homines & actiones, parum ad tuum stomachum aut ad nostrum. Interea tamen (quæso hoc volens audi à volentissimo tibi amico) nec nos omnino eam rem celandi eramus, nec certè vxor: quæ misera se adflictat. Quamquam nos solamur & erigimus: certi, non aliud latêre sub hoc instituto tuo, quàm secessum aliquem ab*

 his turbis.

...nt
...tus con-
...cimus. sed
...metuentem. De-
...mus, obsecro vitam
...& communi viâ. Pax aut
...iter consilium aliquod, capiemus, quod
...temperemus sine bello. At ego tanquam seriò
*...o, & quasi monendus mihi sis: quem liquet vsurpasse hanc professionem animi caussâ, etsi cum angore aliquo tuorum. Quibus etiam, mi * *, consule. & ad suauitatem conuictus illius nostri redi, sine quo tenebræ nobis in mediâ luce. Verè dicam etsi vulgariter, Vita sine te nobis non vitalis. Res adhuc hic quietæ: sed Brabantia tamen & Flandria raptantur, vt audire te credo etiam istic. E Galliis litteras iam bis accepi, & quædam in iis noua. vti De Re accipitrariâ carmen, subtilis & nouitiæ inuentionis. Veni & vide, & (quòd Constantiam tuam meamque decet) ride. cur enim non spernamus hæc circumfusa & externa, iure iis altiores? Nobiliss. V V. Philippum Sidnaeum, & Dierum, si vides, saluta à me quæso: & iis indica, per te stetisse quòd eos non viderim tecum. Certè enim inuitis meis omnibus iuissem. Tui valent. Vale & tu, & fac vt breui te videamus exspectatum. Salutat te Hautenius noster, qui hilariter herè apud me in prandio fuit ad funus Melonis. Inuideas illis exsequialibus epulis, si ita tam albo pectore liuor. Lugd. Bat. X. Kal. Septemb. ∞. Iↄ. LXXXIV.*

EPIST.

in m...
largiter a...
tinent & in...
probo: quia mihi ...
dis. Fuimus bis sept...
refingendis, & nouis quibusda...
exemplar enim Antuerpiâ iussi mitti: si tamen co...
poterit per has turbas. Nam caput illud Belgij à corpore nostro semi-auulsum. Ripas obsident, & tormentis aditum nauibus arcent: etsi nautæ adhuc perrumpunt. Nobis mutatio non impendet iam, sed adest: faxit ille Deus vt in bonum. Quamquam hæc sunt illa, aduersus quæ Constantia nostra nos armauit: quæ hoc saltem mihi profuit, quòd ab eâ scriptione impressum animo meo aliquod robur. Plures hîc imperant. nec vidi eam rem benè vnquam cessisse in bellis. Discidium etiam animorum præsagio, & motus fortassis in ipsâ plebe. Nobis tamen decretum patriam non mutare, si mediocris aliquis in eâ status. si nullus, & si confusio tantùm & raptus: quæcunque terra dederit nobis aliquam sedem. Nec enim liberi prægrauant, & sola mihi

vxor.

..am
..tolam
..a. x. Kal.

..XIV. Leodium.

...NO TORRENTIO
V. amplissimo S. D.

ITA *Salus aliquando seriò me respiciat (nam hactenus quidem adit, abit, & vacillat) vt mihi insigni gaudio imò robori sunt tuæ litteræ tam amanter ad Plantinum de me scriptæ. Te noui, me noui : & hoc scio, hunc tam prolixum adfectum non meruisse à tali viro. Quid dicam? me meáque offerrem & addicerem, nisi iam pridem addicta tibi, nexu quidem & vinclo, quod non nisi atra mors rumpet. Commentatiunculas nostras semestris hic morbus valdè tardauit. morbus, qui per interualla duxit me ad Fati limen, & reduxit. Nec nunc optimè: et si in optimâ spe, vt medici volunt, & iam in abscessu atque inclinatione sit morbus. Absque eo, iam & Suetonium meum haberes (meum? imò ve-*

imò verè tuum, cum tuo integro Commentario, meis tantùm ad oram Notis: præterea votum tibi & dicatum:) & Dialogos nostros De Rectâ institutione iuuentutis, quibus sermonis partes do Philippo Lanoyo & Papio nostro. Amo enim & amaui rectissimum ingenium adolescentis, dignissimi hac vitâ, nisi meliorem ei Deus destinasset. Plura iubet amor meus, imò ardor: vetat languor, & serum hoc diei, quo litteræ tuæ conspectæ nobis. Excusa. & apud Dominicum Lampsonium item nostrum, cui eis paucos dies vbertim scribam. Officij enim aliqua cessatio apud me per hos menses, non amoris: qui mihi æternus in tales viros. Vale, & salutat à me Lævinus tuus. Lugduni, vt volunt, Batauorum. Postrid. Kal. Ian. ∞. Iↄ. LXXXV.

EPIST. LXV. Lugd. Bat.

BONAVENTVRA VVLCANI,
Vir & collega amice,

CALLIMACHVM, *Bionem, Moschum, iamnunc à te accepi: vno partu trigeminos, rarum & felicem ingenij tui fætum. Publicâ caussâ (verè dicam) tibi debeo: priuatâ magis, quia duos ex iis mihi inscribis, hoc est, immortalem me facis: quo quid homini ab homine maius dari potest? Viuent enim amœnissimi poëtæ illi, quamdiu Musæ: & cum iis tuus labor: & cum labore tuo meum nomen, quod Musæo illi peplo intexuisti amicâ & doctâ nimis acu. Gratias agam aut habeam? referre mallim. & tamen verbis quoque nunc dicam, sed paucis & fidis. Emptum me tibi hoc munere, mancipio tuum. & addo improbi hominis priscas illas voces, sed probè & sinceriter:* Quid concupiscas, tu

cas, tu videris: quod concupiueris, certè habebis. *Libros nouitios, quos è diuite bibliothecâ tuâ prompseram, per hunc puerum recipe. De * * Collectaneis iudicium quæris? illud Iuliani scitum profero:* ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων. Magis ad gustum meum Conuiuialia Stuckij, ex eâdem gente, non ab eâdem mente. Firmiora hîc omnia & lectiora. De Sigma, quod obiter quærebas & videras, ille nihil noui: fortasse nunc ego. Nam quæ in Antiquis scripsi, vacillantia aut falsa. Non enim Sigma antiquis Biclinium propriè, vt sensi ego: non diaeta aut cænatio tota, vt alius: non mensa ipsa, vt Brodæus: sed nisi fallor, certa in cænatione pars seorsum erecta & exstructa ad recipiendum lectum. idque hemicycli aut lunatâ formâ, quâ littera illa Græca passim hodie in lapidibus & priscis libris. Suggestum, inquam, quoddam ligneum (siue quâ meliore materiâ, non impedio) semirotundũ: in quo perpetuus vnus lectus, ad sex septem conuiuas recipiendus. Quod velut dimidiatum triclinium repertum inferiore æuo, ad facilem & magis aptum vsum. Ab Apuleio hîc mihi prima lux, & à me illi. De Psyche, libro* v. Visoque statim proximo semirotundo suggesto propter, instrumentum cænatorium rata refectui suo commodum, libens accumbit. *Non nominat Sigma, fateor: sed auribus oculisque ingerit quasi nominasset, ita clarè. Semirotundum suggestum ponit, & Instrumentum cænatorium appellat. quid capere aliud est, quàm hoc Sigma? Triclinij enim certè non illa forma. Radium mihi etiam aliquem, etsi à tenebroso æuo scriptor, allucet Ditmarus Episcopus libro* IIII. *Chronicor. De Othone Imperatore:* Imperator, *inquit*, antiquam Romanorum cupiens consuetudinem reuocare, magnâ ex parte iam suis

* *Vidi, legi, damnaui.*

iam suis deletam temporibus, multa faciebat quæ diuersi diuersè accipiebant. Solus ad mensam quasi semicirculum factam, loco ceteris eminentiore sedebat. *Quod libens item retulerim ad Sigma: sicut illud ad Principalem morem, quòd solus, quòd loco eminentiore. Sed mensam ipsam ad Sigma, lunatâ item formâ fuisse hinc discis. parte dico eâ, quâ conuiuas tangebat: nam illâ, quâ alios, fuerit lineâ sanè rectâ, ad ministerium & adstitionem puerorum scilicet aptiore. Et quanquam de mensâ hic Ditmarus: non tamen eam solam venisse in id nomen (eruditissimo Brodæo scriptum:) peruincit Sidonius, qui in his versibus discriminat clarè:*

Non tibi gemmatis ponentur prandia mensis,
Assyrius murex nec tibi sigma dabit.

Ità omnino lego, non Signa, vt vulgò. Idem alibi nominat, & ostendit duplex fuisse, Æstiuum & Hibernum.

Cominus aspicitur vel prima vel extima turris:
Mos erat hîc dominis hibernum sigma locare.

Vbi Locandi verbum refutat item Cælium, Diætam capientem ipsam. At ea non transfertur, non locatur in turre. Cetera quæ huc faciunt, aut ego aut Stuckius iam diximus. De Antecænâ etiam ambigo, quòd ad vocem. Macrobius sanè ita: sed in Apuleio & Isidoro tuo Antecænium, siue multitudinis casu Antecænia reperio. quidni rectè, quo flexu à Scenâ Proscænium? Ille libro 11. *sic*: Prorsus gladiatoriæ Veneris antecænia. *Alter lib.* xx. Merenda est cibus qui declinante die sumitur: quasi post meridiem edendus & proxima cænæ. vnde & Antecænia à quibusdam dicitur. *nisi si hic vtrobique Antecæna reponenda: quod haud temerè putem. Salue iterum mi Vulcani:*

iterumque tibi à me gratiæ. quas promam semper & recondam, habebo æternum & debebo.

EPIST. LXVI. Lutetiam,

IANO GVILIELMIO S. D.

SERIO *ægrotabam, mi Guilielmi, tamen expressit amor vt scriberem: non miraberis, si paucis. Hepatis enim acer nec sine discrimine morbus est, qui me septimanas iam aliquot adfligit: quam partem ad vitam eiusque munia principem esse non ignoras. Litteræ tuæ nuperrimæ suaues. celasti in iis me de Epistolâ in Sigonium, quam missam tamen è Britanniâ vidi. Gaudeo conspirare te mecum: cuius iudicium super eâ Consolatione credo te iam vidisse. Sed tu, sodes, cur non acrius paullo egisti hanc caussam? Debebas. & sine adspectu illius, quem nimis attollis, falsæ huius prolis patrem. Agnosco stilum, disiunctum, otiosum, lentum: & illam (audeo apud te dicere) Sigoneitatem. Quid sibi volunt Itali? Transalpinos omnes esse fungos? Scilicet nemo nostrûm inter oletum illud diiudicet & Tullianam myrrham. De Re Accipitrariâ nouitiæ & acutæ inuentionis carmen accepi. legi mihi iussi per hunc ipsum morbum. placuit. Gratias quæso à me auctori & datori nuntia. cuius mihi laudes gratæ, eò inprimis quòd iunxit me laudatissimis illis viris. De P. Fabro: gaudeo mihi impositum. Tamen scripseram etiam aliquid ad Cuiacium. tu purga. Tacitus noster prodit, & nouæ ad Historias reliquosque libellos Notæ. sed Notæ tantùm. plura valetudo vetuit, & hæ turbæ, quæ rerum & mansionis nos faciunt incertos. Saluta Brissonium, Memmium, Scaligerum; & tu salue quidquid me erit.*

me erit. Constantia nostra iterum prodit cum Præscriptione aduersus quosdam qui in ἄπειρα ἄπειρα. *Critica omnia nostra imprimuntur vno volumine iunctim, quibus noua quædam addemus si valeo & viuo. Lugd. Bat.* XIII. *Kal. Octob.* ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST. LXVII.

IACOBO CVIACIO IC. S. dico.

SAEPE *mihi de te sermo, Cuiaci clarissime virorũ: apud te adhuc nullus. Hoc pudor vetuit: illud iussit amor & admiratio tui: quæ non apud me solùm, sed apud omnes in quos scintilla aliqua diffusa lucis melioris. Et eualuerunt tandem hæc duo, vt abrumperem ingenitum mihi modestiæ vinclum: & iter ad amicitiam tuam struerem sine vllis cuniculis, apertè.* Perit enim procari, si latet, *aiebat ille: & sæpe iam litteris nec vnis nec vnius, spes imò fiducia mihi facta mutui tui adfectus. Quæ non me fallet: si noui humanitatis veræ genium, qui spirat in tuis scriptis. De rebus meis si in hoc aditu amicitiæ aliquid quæris: cetera commodè agimus, nisi quod inter eos quibus rerum bonarum non magnus sensus. Bella etiam & tumultus quibus inuoluimur, fieri non potest quin interdum & tangant nos & angant. Si de studiis: Commentarium Cornelianum vulgamus iterum, sed pleniorem: addimus enim in* Historias *& adiunctos libellos. Vtinam autem fas polire mihi eum præsentis tui limâ! Quia non licet, velim tibi animus otiumque sit vel per litteras dirigendi me, corrigendi. Labimur enim, Cuiaci, in hoc genere ego aliique: & illa tua velut propria laus, exacta certáque esse quæ semel ex adyto tui pe-*

ctoris profusa. Paramus etiam De Amphitheatro seu Venatione libros tres, vt fiant legitimi Saturnales quinque. Nescio quid præterea in Liuio nuper exorsus: quod pergam detexere, si auxilium mihi paullò firmius librorum. Duo tresque apud me sunt: sed quasi de compacto consentientes. Tu, Vir maxime nostri æui, si dignum me habes quem redames, quem rebus item tuis consiliisque (de litteris loquor) participes, in cælo me collocabis nouâ apotheôsi. Ios. Scaligerum quem scio me tantum amare quantum tu, & quantum te, (liberè enim addo.) ex animo salutes velim: cuius libros De emendatione temporum auidè auidè exspectamus. Nisi ambitiosum sit, includam in eandem salutem magnum Brissonium, Puteanum, Fabrum, Pythœosque, viros clariss. & ideò mihi quoque famâ notissimos. Amare autem liceat, si potiri non licet. *Vale Vir Clariß. Lugduni, vt volunt, Batauorum.* III. *Non. Octobreis.*

EPIST. LXVIII.

TH. LEEWIO Consiliario S. D.

DISTVLI *ad te scribere, Vir clarissime, non libens. Morbus meus hoc fecit, qui non sine discrimine etiamnunc me vexat. Ego fero: & æquissimo animo exspecto illum diem, quo Imperator hoc corpore, imò carcere, me soluet. Obstructiones sunt quæ me tenent, internæ inflammationes, nescio quæ arcana alia symptomata, ad quæ medici ipsi trepidant & caligant. At non ego. scio hanc legem vniuerso humano generi datam: nec magis mirum aut nouum mori hominem, quàm nasci. Denique quid est quod in sæculo hoc me teneat aut delectet? Publica vide: pessimè habent.*

habent. Priuata: etiam in iis suæ cruces. Melonem nostrum tibi gratum fuisse, mibi gratum. Sanè bonos & eximios aliquot habui hoc anno. sed quid? ego, velut Tantalus sitit inter suas vndas, esurio inter medios melones. Nec gustare quidem mihi fas ob hunc morbum. Constantiam nostram recudit Plantinus. pauca mutata aut addita præter Epistolam, quam videbis. Exemplar Latinum Seb. Gryphio nostro dabis, cui ex voto debeo. Belgicum vxori tuæ seruiet: si tamen hæc ad sapientiam illius sexus. Sed tu, si tanti est, interpretando iuuabis. Ego te illamque saluere ex animo iubeo. nam longior scriptio mihi non facit. Valete vterque. Leidæ, IX. Septemb. ∞. IↃ. LXXXIV. *hodiè paullo rectiùs valere visus sum.*

EPIST. LXIX.

MART. LYDIO S. dico.

VALDE *me, Lydi, de scriptiunculis meis vrges: vtique de Thraseâ. Quod nollem. Cur enim ea tanti? & si essent, non certè differrem si otium aut vires mibi tempora darent & hæc valetudo. Quæ nunc quidem (deo magno gratia) præter spem melior: sed infirma tamen ancepsque: & quam fouere ac vegetare per quietem debeo, quàm meditatione aut scriptione infringere. Paratus sanè magnâ ex parte Thraseas, fateor: sed limam tamen exspectat & extremam illam manum, quæ mihi quidem maximè in labore. Cetera enim impetu & calore quodam scribimus: iudicij hîc res est, & acrimoniæ, & intentionis. Materiem ipsam vide, grauem, seriam: an præcipitanda tibi ea videtur, & in pugnam aut aciem vocanda mea fama? Fu-*

turum id enim certè in rebus illis sublimibus, nisi omnia non benè solùm dicta, sed etiam cautè. Sæculum hoc noui, contentiones & variantes sententias quæ vbique vigent. & vt veram liberè maximè exprimam (non enim vnquam deterrebor) videndum tamen vt verbis & tempore id faciam opportunè. Festinare in alio quouis scripto possim fortasse & debeam: hic non nisi maturare. At de Agellio, ecce magis me tibi facilem. Etsi enim H. Stephanus iamnunc eum dedit: tamen non spicæ mihi solùm multæ, sed fasces reliqui, quos carpam ex Attico eo agro. Itaque Plantino vltrò iam locutus sum, nec differemus si cursum typographiæ eius non sistent aduersi isti venti. Nam Antuerpia si amittitur, optimi viri res in arcto: nec facilè de sumptibus expediat aut papyro. Quamquam id quoque curabimus. Sed tu mi Lydi, quando in Frisiam? Gratulor enim tibi hoc otium, non otium: honestum tibi, vtile futurum iuuentuti. Meo voto & electione iampridem tibi is locus apud nos fuisset, & Dousam habeo crebri iudicij huius mei testem. Sed Deo aliter visum: qui te méque ad salutem foueat & firmet. Vale Vir amicissime. Lugd. Bat. IIII. Kal. Iul. ∞. IↃ. LXXXV.

EPIST. LXX. Brugas.

VICTORI GISELINO S. D.

ITANE *litteræ à Victore? tandem, tandem. Quod in gaudio improuiso, vix credidi ipse meis oculis cùm legerem, manibus cùm tenerem. Itaque verè scribis, pro bono tibi cessit peruicax cessatio: quia in morem abisse videbatur, & desiisti flagitari. Imò præscriptio tibi iam penè*

proderat

proderat (si Iurisconsultus esse vis) nisi hæc interrupisset scriptio. Sed vide vt non specimen solùm emendandi nobis præbeas, sed re emendes: nec gustum modò, sed rectam plenamque cœnam. Aliàs, quò arenti mihi & sitienti pauculæ istæ guttæ, si venam tu iterum interclusurus es huius suauitatis? Sed non facies: quia non vltrà ego facilis in ignoscendo, vel te auctore. Quod si iram etiam meam contemnes: quid? quid? Veniam videlicet ipse, & iterum te mihi adferam subtractum non bonâ fraude. Trellæo illi dij omnes benefaciant: qui adiutor tibi, vt opinor, & interpres honestissimi muneris. Sed ad carmen eius suadésne rescribam? Nec enim hominem satis noui aut mores. De schidis reciperatis, noua & mira. Sed siue illum pœnitentia (non enim pudor) furti subiit: siue eum apud quem deposita: tibi quidem ex animo gratulor de receptis. Vide vt te vnà cum illis. Nam certè, mi Victor, indignantur iam pridem nostræ deæ desertas se à te, illo militiæ suæ principe olim & antesignano. Purga: & ostende emansionem hanc fuisse tantùm alendis ingenij viribus, & velut quiete irrigandis. De Plinio, ego quidem valdè sum auctor. Nec excusa. velis modò, fides mea interueniet de successu. Plantinus ædes hîc emit, Typographiam instituit, & videmur effecturi vt stipendium ab Ordinibus accipiat honestum. Fortassis ea res eriget excitabitque me ad studia, aliàs sæpe languentem. Laco noster, vt audio, planissimè periit: nec deseruit illum præeuntem Nemesis, et si pede claudo. A Cuiacio benigna multa ad me & honora. Gifanij Agellium excudi audimus. quem ego scriptorem ante quatuor menses ad Plantinum miseram, seuerè & anxiè correctum: curque omiserit aut dimiserit, ne nunc quidem scio. Nec quæro sanè aut curo.

aut curo. Nam si mens aut otium mihi, satis multa in aliis scriptoribus quæ agamus: ne eripiam hanc patri prolem, iam certè nubilem & plus quàm quindecennem. Scis quid ille semi-Italus questus de filiolâ suâ nuper: non sine risu meo, credo etiam vestro. Quem mihi commendasti, cupio omnia. sed nihil dum ego aut Dusa extricamus. Nam de Plantino quam ei spem ostenderam, profertur in eius aduentum, id est ad initia veris. Antè nihil statuere de domo suâ vult aut potest. Dusa noster Commentarios ad Petronium scripserat, nunc totus in Historiâ concinnandâ suæ gentis.

EPIST. LXXI. Londinium.

IANO DOVSAE V. N. Salutem opto.

AN *potius linguam? ista enim deest, qui tamdiu siles. Vindictam talionis merebare: sed noster amor si non maior, certè acrior: procatur, & lacessit te vltrò. Valemus ego, tui liberi, tua vxor.* [redacted]

EPIST. LXXII. Antuerpiam.

IOH. MOERENTORFIO S. dico.

VXOREM *ad te redeuntem, Mi Moërentorfi, quî dimittam sine litteris? Ægrè eas scribo, fateor: sum enim in alienâ vrbe & domo: scribo tamen. siue quia debeo, siue quia valdè volo. De filioli tui apud nos obitu soror, credo, iam scripsit. Ego te soler? animo facio: verbis nunc non*

nunc non licet, nec opus eſt, ſi firmitudinem animi tui probè noui. Sæpe eam in litteris ad ſocerum adſpexi, ſed in alienis rebus: te illa deſeret in tuis? Non opinor. præſertim cùm ita placita tibi ea virtus, vt per eam conſtantia etiam noſtra: quam non legis ſolùm auidè, ſed vertis. Vidi enim ſpecimen, & probo. illud vellem, plus aliquid tibi permitteres, nec veſtigia vſquequaque ſermonis Latini premeres pede tam certo. Arta per hanc curam verſio, aſtricta, tenuis, ſæpe obſcura. Eſt ſuus videlicet cuique linguæ Genius, quem non ancillas, nec temerè migrare iuſſeris in corpus alienum. Quàm multa Latinè breuiter ſcripſerim, quæ ſi totidem verbis transferas, ſententia nec plana ſatis, nec plena ſit! Quàm multa rectè & altè: quæ in aliâ linguâ iaceant aut vacillent! Quod iis præſertim euenit, quorum ſtilus paullò magis ab eruditione & à curâ. Iam alluſiones illas, annominationes, flexus, & in vno ſæpe verbo imagines, quæ tam dextra mens vertat, vt eadem vis iis aut Venus? Exorbita igitur: & hoc erit rectam in vertendo viam tenere, viam non tenere. De pecuniolâ Facuenſi, grata tua cura. expediemúſne aliquid à nummario hoc tricone? quidquid erit, tibi debebo. De ciſtâ ſcriptoriâ, ô gratum & opportunum tuum munus! planè eâ egebam. gratiam tibi meæ Muſæ. Tu tam benignus in nos ſalue, & vide vt validum te reperiat valentula iam tua vxor. Delfis, III. Idus Sept. ∞. IↃ. LXXXIII.

EPIST. LXXIII.

GEORGIO BENEDICTI.

ET carmen tuum valdè mihi gratum, mi Georgi, & beniuola memoria mei. sed illud longè gratissimum, quòd valens & incolumis appuleris ea loca, ad quæ missus es velut ad mercatum artium feriarum. Philosophiæ dico, & inprimis Theologiæ. ad quam postremam non actiones solùm omnes tuas, sed cogitationes necessum est collineare. Quæ tamen ipsa, quoniam sine pietate & puritate nulla est, caue, te quæso, ne quid labis aut maculæ trahas ex cœtu iuuentutis maculosæ. Fuge illos, fuge, qui liberioris vitæ obtentu ad licentiam trahunt: quæ vna ianua & aditus ad omne scelus. Magna non frustrà nobis de isto ingenio tuo pollicemur: tu vide sollicitè, ne id deprauent praui. In flexu ipso ætatis es: in quo si non laberis, speramus te inoffenso deinde cursu pertingere posse ad metam. Vale. Lugd. Batauorum ∞. IↃ. LXXXIV. *Deus te seruet, in quo & à quo omnis salus.*

EPIST. LXXIV. Lutetiam.

IANO GVILIELMIO meo S. D.

EGO verò Quæstiones tuas iam antè videram, & legeram cum curâ. An gemmæ hæ non luceant? aut nos celentur? Itaque non itero apud te iudicium meum, quod apud alios nusquam celo. Si tamen de alterâ editione cogitas, sunt minuta quædam quæ te monebo. Quid ni moneam? amici hoc est: & vtinam id mihi iuueni factum in meis scri-

meis ſcriptis. Quamquam reuera tua iuuenile nihil ſpirant, matura, adſtricta, grauia: niſi quòd à iudicio tuo abeo in pauculis locis. Itaque abi, nec feſtinationem mihi excuſa, quâ nihil peccas. Noſter, ille noſter, etiamnum Lutetiæ? & quando tandem videbimus in luce illas Noctes? ſanè longa & difficilis ſatio in hoc Agello. & metuo vt acerbi etiam fructus, incuſante & incurſante Oberto. Doleo. ſed videor tamen de his ſtudiis noſtris poſſe dicere

* Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβην βλάβη.

Impudentiâ id fit & ſcæuitate quorundam, qui perfudère animum ſcientiâ, non imbuêre. Gulielmi Furnerij, ad De verborum ſignificatione, vidimus: probum, & ſine ambitione doctum planè opus. Faueo, admiror, amo. P. Fabri Ad Regulas auidè exſpecto: nec inducor vt lædi me credam poſſe ab eo viro, non certè ſi me nouit. Quid tamen eius ſit (nam è Coluio noſtro inaudiui aliquid) liberè, vt oportet, ſcri[illegible] Ego æquiter punctiunculas aliquot ſtili eius feram, qui ſæpe [illegible]ico Memmio viro ſummo, (ita dudum ſentio) meo nomine indica: ſcriptum ad me ab Egmondo de oblatis Notis aliquot in Tacitum. ſed litteras eas tarde, imò ſerò redditas: itaque non poſtulaſſe eas me, habere tamen ei gratiam proinde ac ſi impetraſſem. Dicare me ipſi hunc animum, & ſine fuco amorem. Clariſſimo viro Claudio Puteano, iam diu etiam laboro, vt animus meus innoteſcat. ſcio illum eſſe inter lumina illa Galliæ: & velim valdè eum à me ſaluere. Sed tu, mi Gulielmi, quid agis? quid cudis? vt enim vegetum ingenium tuum eſt, non ceſſas. Perge quæſo te gnauiter in hac viâ, quam ad æternitatem tibi ſtrauiſti. De Scaligero, doleo ſiue indignor eſſe nebulones, qui conuicientur & obſtrepant viro, [illegible] ([illegible] θεῶν*

*Litem parit lis, noxa item noxam ſerit.

*Inuulnerabiles deorum liberi.

[redacted] *Et quis, obsecro, ille Insulanus, qui iactat etiam reges? Me pariter morantur interdum & turbant hæ pestes. De Iosiæ Merceri Nonio, gratum. urge ut promat. Ad Augerium Busbequium credo me nunc aut certè breui scripturum, cum testimonio quod tibi debeo. Nicolao Fabro, Pythœis, Passeratio, multum à me salutem dicito. Vale & salue à Dousâ nostro. Lugd. Bat. xv. Kalend. Iunias,* ∞. Iↄ. LXXXIV.

EPIST. LXXV. Noribergam.

IOACHIMO CAMERARIO
Doctori Medico S. M. precor.

EXHILARARVNT *me litteræ tuæ solo nomine, & aspectu.* [redacted] *cuius beniuolentiæ in me olim signa non obscura. Libellum à te missum falsi Ciceronis, cum iis quæ adiuncta, accepi & legi lubens. O duram frontem Sigonij, qui hoc pertendit! Sed sentire eum ita seriò, vix fides. Quid autem ais de altero illo Riccoboni responso, si vidisti? satin' ut acriter & veris armis in Sigonium itur? Ait non obscurè, illum ipsum auctorem esse laudatæ Consolationis. Vide & ride hoc bellum Italum, cui me non misceo. Vt quid enim? Mihi tam clarum est quàm Solem illum lucere, scriptum hoc nouitium esse & improbæ nimis spei. Nec dissentient, scio, docti. Sigonio ignoscere possumus, si agit suam caussam. etsi metuo ne labecula aliqua ab hac re offusa priscæ*

illi gloriæ

illi gloriæ. Ita fit, si quis eam non habet cum modo. Nos Tacitum recudimus, & Constantiam. in quâ Notas aliquot adiunximus, ad reprimendas calumnias quorundam: quarum hoc sanè sæculum ferax. & eâ re tardari nos ad nouum aliquid pangendum non negamus. Andreæ Dudithij per te litteras accepi: viri magni, alti, & de quo illud possim —— πεπλασμένον ἐκ δ ιὸς ἔρνος. Salueat à me, & tu vnà amicissime Camerari. Lugd. Batauor.* XVI. *Kal. Iun.* ∞. IↃ. LXXXIV.

* *Effictus ex Iove ramus.*

EPIST. LXXVI. Biturigas.

IACOBO CVIACIO IC.

NON *ipse contentus in amicitiam tuam penetrasse, aliis ecce fores aperio, quasi in câ vectus. Iuuenem hunc tibi commendo, familiarem nuper meum, oris & ingenij probi. Commendo autem ita, non vt ad interiorem illam amicitiam tuam admittas (aliis seruetur aditus ad illa adyta) sed ad externam hanc notitiam, quæ in adfatu posita & adspectu. Hæc enim illi sufficit. & adolescentibus id ætatis satis gloriæ, Vidisse, Conuenisse. Quamquam hic etiam Audisse refcret: quæ vnica illi caussa Biturigas, imò Galliam, petendi. Tu mi Cuiaci illum, vel meâ caussâ complectere, & me omnino, qui æternùm tuus. Lugd. Bat. Nonis April.* ∞. IↃ. LXXXV.

EPIST. LXXVII. Lutetiam.

FRANCISCO RAPHELENGIO FRANCISCI F. S. D.

IAM vir es, laudo. Binas à te litteras accepi, tu à me nullas: non culpâ tamen nostrâ (scripsimus enim vbertim nuper) sed Legatorum qui diem ex die ducunt, & more suo morantur. In eorum enim comitatu I. Esychius noster est, cui fasciculum dedimus. Valetudo nostra infirma, incerta. non etiam animus, cui fixum parêre & sequi magnum illum Deum. At rumor ille falsus, qui vos terruit de meâ morte. qui tamen idem Brugis & Leodij sparsus, ne mirer apud longinquiores Gallos. Homines de meo capite possunt ludere, statuere tantùm supremus ille Princeps. Ego mortem non timere dudum didici: quin vt hæc tempora & languores mei sunt, propior sum appetenti.

*-melius est semel mori, Quàm contínuêter in diem affligi malè.

——* Κρεῖσσον εἰσάπαξ θανεῖν

. Η τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς,

ait Æschylus. In studiis quòd pergis & perseueras, gaudeo. quid sequendum tibi, reperies in litteris meis primis. Passeratio sedulam operam da: qui vna columna labenti Scholæ. Nam vetus sanè Parisiensium doctorum gloria valdè flaccuit & imminuit. Sapientiæ studia & virtutis ne omitte. Pietas tibi in mente, modestia ante oculos, & demissio animi: ad quam nunquam satis te horter. Illa fundus bonorum omnium & fundamentum: nec pestis alia plura ingenia abripuit, quàm confidentia & æstimatio sui. Tu abstine. Reuera enim quid sumus? quid scimus? Quò longius progrediere in scientiæ verâ viâ, tenebras & circumfu-

circumfusam caliginem magis cognosces ingenio humano. De me ne labora, si quidam inuideant aut carpant. An ego eximius sim inter homines qui sunt, qui fuêre? Omnes qui excellere aliquâ in re conantur (non enim dicam qui excellunt) statim adflauit & adussit maleuolentiæ ista aura. Cita veteres, reperies. Circumspice hodie nostros: idem. Quid miraris si Marculus aliquis hoc in me faciat aut Lacon? Mihi sententia de me, non nisi apud me fertur: nec quis sim, alium rogo. Interno isto iudice si probus audiam: quid addent aut dement mihi hi sermones? Nec famam tamen sperno, aut neglego: sed hoc te moneo, non esse eam nostræ potestatis. ideò inter externa habendam, & in momentum nullum ad beatam tranquillamque vitam. Quis sim, in me situm est: qualis audiam, in vano isto vulgo. Sed ad te redeo. Iuxta Sapientiæ studium, stilum cole & exerce: qui Diuæ illius fidus & necessarius administer. Quid enim recondita illa diis proderit, nisi spargere & emittere ad plures eam poteris felici quadam pennâ? Stilum autem, meo iudicio, Plautus & Cicero tibi perficient: aptâ quadam, & quam ex me sæpe audisti, mixturâ. Æuum tuum vides? propera. non aliud magis idoneum disciplinæ. Auum tuum vides? item propera. infirmus enim ille tibicen qui te sustentat. Morbi & languores cottidiani illum vrgent, facturi aliquando quod minantur. Quis autem studiis tuis gubernator, amisso illo? Nam & ego sanè infirmus. quo tamen viuo haud spero quidquam tibi deerit. Vale. & veram virtutem nosque ama. Lugduni Batauor. XVI. *Kal. Januar.* ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST.

EPIST. LXXVIII. Aurelianum.

EVER. POLLIONI S. D.

ERGÓNE in Galliâ tam diu es, & siles? Siue adfectum meum in te respicis, siue consuetudinem quâ domi meæ vsus: peccas. Nam me certè vel morbus excusat, qui quattuor iam menses perpetim me vexat. Et tamen cum miti arbitro tibi res est. scribe, & excusasti. Loca illa qui placent? qui homines? Probi illic, scio, improbique: sed hos, mi Pollio, vita: & in primis si qui nequiores aut leuiores. quæ vetus gentis illius nota, & nunc per bella, per tumultus, auxit valdè. At illos (probos inquam doctosque) elige & excerpe: his adhære: linguam ab iis disce & mores. Vt aromata odorem semper aliquem adfricant tangenti: sic boni & modesti, auram aliquam suæ virtutis. Inter hos Aureliani (illic enim agere te censeo) Furnerium antecessorem habeo: quem virum probum esse audio, penitus doctum è scriptis scio. Si potes, illi innotesce: & si gratum esse putas, à me saluta. Pestem in iis locis sæuire accipio, nisi si iam deseuiit hoc frigore & hac hieme. Fuge contagem illam, quantum humaniter potes: sed ante omnia pestes illas animorum, sodales malos, qui fraude & arte inrepunt & inrumpunt. Plura, cùm rescripseris. Nos enim adhuc in morbo: nec sine discrimine, nisi clemens ille Deus auertat. Qui virtutem modestiamque tibi seruet, & nostri amorem. Lugd. Bat. XVI. Kal. Ianuar. ∞. IϽ. LXXXIV.

EPIST.

EPIST. LXXIX.

MART. LYDIO S. dico.

SOLICITVDO *tua de valetudine meâ, non magis mihi noua, quàm amor tuus, quem iamdiu ostendis. Vtraque grata consilium etiam, quod amicè adiungis contra vim melancholici morbi. Sed mihi, mi Lydi, non planè capitalis ille morbus, non inquam vera Melancholia; sed tantùm suboles eius, flatuosa illa hypochondriaca adfectio, longa & sæua nihilominus, nisi quòd cerebro & menti adhuc parcit. Quæ constant mihi, nisi erro. Nam in hoc ipso morbo illud mirum, quòd cùm maximè desipiunt, sapere maximè sibi videntur: & ita aberrat à se mens, vt se non quærat. Libellum quem dicis Aloysij Luisini vidi numquam. argumento certè iamnunc placet, nescio an tractatione. De Thraseâ meo aliisque scriptis, quæso minus vrge. In morbo hoc nisi morbidum quid possim? & ego me ne sanum quidem ad scribendum scio accedere, nisi cùm vegeta mihi mens & acris. Cum calore quodam nostra illa pangimus, non minus quàm poëtæ. At nunc frigeo & rigeo, anni tempore & morbo. Ego mortuus in Galliâ & alibi dictus sum, vt ex litteris non vnis intellego: falsò. Vtinam tam falsò I. Gulielmius noster, quem emigrasse scies Iulio mense Auarici Biturigum, correptum ardidâ febre. Item C. Sigonius in Italiâ abiit, reliquum in eâ gente lumen. Herè mihi dictus Cuiacius idem fecisse, nec tamen certò. Quid ais? nónne funestus & fatalis ingeniis hic annus? videtur. De me, Deus ille & seruator meus videbit: qui nec præter mentem meam hac in re aliquid statuet, nec præ-*

R ter vo-

*ter votum. Obſecro enim quid nos teneat aut liget in hac fæce? Nihil me: qui magis magiſque in dies video & rideo furorem Principum & vulgi. Etiam priuata ſi introſpicis: *miſeriæ, & angor, & languor: & cum Homero*

*Mæror ſubit ex mærore.

——δέχε) κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.

Quæ tamen Chriſtiani meritò ferimus, quamdiu Deo illi viſum, qui explorat & expurgat nos per hunc ignem. Ei te, mi amiciſſime Lydi, commendo: & me precibus apud eum tuis. Vale. Lugd. Bat. XVI. *Kal. Ianuar.* ∞. IϽ. LXXXIV.

EPIST. LXXX. Romam.

ROLANDO WINCELIO S. mitto.

ME *quoque certè accendit ad redamandum amor hic tuus, cuius ſcintillæ exſiliunt & emicant in omni epiſtolæ tuæ parte. Quem quod meritum meum ſiue aluit, ſiue accendit? Nam quòd magni æſtimas hoc neſcio quid litterularum, quod in nobis eſt, vide mi* Winceli, *ne abducat & ſeducat te adfectus. Volumus ſanè quædam in publicum, ſed adoleſcentes, nec annis aut iudicio ſatis adhuc firmi. Quibus, benignè mecum agitur, ſi venia à Lectore tribuitur, nedum vt cumulus iſte laudum. At tu tamen ea extollis, & cum aliis quibuſdam errorem erras, quem negare mihi non poſſum eſſe gratum. Poſteritas ſaltem (vt ille inquit) ita de me meiſque aut erret aut iudicet. Nam viuus certè iudicia multorum experior valdè in me prona. Quorundam etiam aduerſa, fateor. & cur offendar? ſcio quòd ſæpe meritò. Lapſi enim non ſemel ſumus, præſertim in iuuenilibus illis ſcriptis: quæ tamen nunc reprehendo & retracto, & à poſtremâ hac incude firmiora erunt, niſi fallor, con-*

lor, contra malum dentem. Sed cur tamen in me iniqui? Dent mihi aliquem ex omnibus æuo nostro Criticis, qui non peccant; & flageller ego solus. Sed hos omitto. illud tantum instillo: si temerè arroserint,

——* κἂν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν.

*Etiam mus momordent virum improbum.

Sed libentius ad beniuolas & amicas animas deuenio, in quibus te auctore dehinc censeo Illustrem Gondosaluum Pontium, Neapolitani Proregis nepotem: cui quid nisi gratias agam pro adfectu? addo etiam redamare me iure, etsi ignotum. quomodo enim non, qui tam benignè prouocat? De Mureto summa mea opinio est, & erit. & felices vos sanè illo doctore. Patria nostra porrò turbat: nec scio quando nobis adfulgebit tranquillitatis ille sol. Itaque nos etiam sæpe frangimur: nisi quòd conatus solari me meosque Belgas sum nupero De Constantiâ scripto. quod scire equidem velim, quî faciat ad Italorum teneram saliuam. Vale mi Winceli. iam enim interpellor, imò auocor. Non. April. ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST. LXXXI. Rhotomagum.

VICTORI meo S. dico.

QVOD *deficientibus aspersa frigida, hoc mihi vestræ litteræ. Releuant recreantque labentem me, & virium adspirant nouam auram. Hem, amor quid potes? tu honeste, tu vere, & qui semel in puro amicitiæ solo egisti radices. Intemperies mea adhuc me tenet. ita enim verius appellitare videor posse, quàm morbum. Cetera valeo: calor tantùm molestus in hepate, mesenterio, & penè dixerim venenatis in eo venis. Eæ sunt, eæ venulæ, quæ pugnam mi-*

gna a mihi cum stomacho mouent: quæ calorem eius succum-que ad se trahunt mali vi aut fraude. Capútne alterum de Melancholiâ Rondeletij tu legisti? Is purus [illegible] meus morbus. Myrchialem Arabes, nisi fallor, [illegible] Pugno sanè cum eo strenuè; & abiecisse sæpe vid[illegible], sed vt Antæus quispiam, vires & resurgit. Frigidis iuuari imprimè videor: sed crebra & continens eorum vsio, scis quàm non ventriculi ex vsu. Hic nodus. habes ei cuneum? an tu quoque cum veteris Scholæ medicis adhæres? Dico, veteris. nam isti noui à Paracelso, auxilium pollicentur ab Vitrioli aceto. Frigerare id aiunt, penetrare, aperire; & simul robur addere visceribus & membris. Et sanè (iram & vocem comprime) iam vtor, successu non infelici. De exitu videbo: si iuuare ita porrò pergit, ego inuentorem hunc deum. Phlebotomiâ nuper etiam vsus eram, & iuuit valdè. sed quid dicam? Vt ille in Ætnâ ignis interualla sua habet, & cùm deseuiisse creditur, redit: ita meus iste. Quem nisi breui tollo, me tollet. Quid refert? generosa & Herculea hæc ad cælum via est, per æstum perque ignem. Ego, mi Victor, iamdiu paratus ad hoc iter: nec cum alio adfectu minor mihi pugna, quàm cum metu mortis. Vitam habeo velut hospitem. si manet, non eiicio: si abit, non teneo, nec penulam scindo. De Modio, grata mihi narratio. Faueo & faui iamdudum illi ingenio: nec (cùm à paucis vobis abij) in Belgio habeo, cui factum velim magis. Placent mores & indoles, & (constet sibi tantùm, nec transuersum eum abripiat aliquis Lacon) fructus, scio, dabit studiorum. Sed cur ad me non scripsit? cur ne salutem quidem adscripsit? Peccatum largum; siue illius qui dicere omisit, siue tuum qui scribere. De Lacone quid? trepidas in aduentum eius & palles?

Incisa vena

& palles? Sta tantum: spondeo tibi, fugit. Nihil eo homine κεροχοδειλότερον. *Scelera hoc faciunt, & occultum illud in pectore flagellum: quod commouet, quisquis eum constantius aspexit. De Apuleio deque Pintiano, curæ habebo, imò iam habui: & indica si quis alius tibi à viuo mortuoque me visus. Dousa in Angliam abiit legatus. Mihi, si vires paullò magis firmæ, (nam atrophia quædam coniuncta cum hoc languore) decretum Vbios excurrere priuatæ meæ rei caussâ: & illinc Eburones, ad acidos fontes. Mira iis vis dicitur & propria in hunc morbum. Videbo. & pro valetudine omnia faciam, pro vitâ haud multum. Mori enim mihi non graue, graue tabêre istud & languere. Tu salue, cum tuâ. Fratri tuo, si iam adest, amicissimam salutem: quem tuâ & magis morum eius caussâ seriò amo. Rubicasium nostrum valere audio, sed calere totum in rebus. Dea Lua eum adiuuet, & nexibus illis malarum litium exsoluat quibus implicatur. Valdè eum saluta, & iube (ita loquor) amantem me amet. In Batauis, XI. Kal. Sextil.* ∞. Iↄ. LXXXV.

EPIST. LXXXII. Lutetiam.

FRANCISCO RAPHELENGIO FILIO S. dico.

GRATAS *exspectatasque nobis fuisse tuas litteras, nihil opus est scribam. scio te id scire. etiam adfectum tuum amauimus, qui & in epistolâ se ostendit, & in carmine quod adiunxti. Tu verò & in amore nostri perge, & in virtute ac modestiâ multò magis: sine quibus caue censeas, non dicam famam vllam tibi esse posse, sed vitam.*

 Litterulæ

Litterulæ enim & aliæ elegantiæ siue cultus ingeniorum vacuæ ab istis, sordes sunt & deliramenta mera. Modestia est, quæ ad cognitionem nostri nos ducit: hæc ad virtutem & ad Deum, in quo omnis felicitas. De professoribus quod distinctè scripsisti, gratum. Ego audiendi tibi Genebrardi auctor sum in Hebræis, in Græcis Heliæ aut Gullonij, (nam magnus ille Auratus lectionem, vt audio, iam desijt:) vt res suadebit aut scriptor aliquis quem legent. Philosophiam ante omnia non deseres: cuius fructus demum gustabis in progressu. At nunc obdura. Sed de litterariâ tuâ sarcinâ, quid? periítne insignem μετεωρίαν *tuam: quam vide seriò emendes. etiámne in eadem sorte meæ litteræ? Nam memini dare me tibi ad Memmium, & Pincæum, & Faucerium. cur non scribis, vt saltem iterum scribam? Nam silentium meum trahi alioqui possit in culpam. Agellium (quandocunque difficilis ille partus lucem videbit) fac habeamus: & si quid aliud prodibit, quo scias nos capi. Scribe de P. Fabri ad Regulas iuris, an prodierit, aut potius mitte. quod facile tibi per Sonnium. Contagionem pestiferam valere istic audio: tu quantum in te est vita, & segrega à turbâ. Abstine à multiplici omni cursu, discursu: donec hiems & gelu telum infregerint malæ diuæ. Valetudo mea nondum ex voto, melior tamen: sed ita, vt nec corpus nec mens mihi satis firma. non certè ad labores. Itaque studia nostra cessant. non tua spero: quæ nisi auidè, imò calidè prosequaris in hoc flore æui, frustra postea quæres fructum. Hæc monita nostra tuâ sponte seruabis, confido: nequid tamen ea laxent alij, nonnullus mihi metus. Quos vita, per Deum immortalem: & mala illa, soluta, & petulca ingenia, fuge supra ipsam pestem. Non enim hæc magis corrumpendo*

rumpendo

rumpendo corpori est, quàm illi animo: cui per subdolas blanditias instillant & adfigunt venena. Euripideum illud cogita,

——* πόνος εὐκλείας πατήρ.

Auus tuus & auia valent. tibi volunt semperque volent, si voles ipse. Salue & vale. Vxor mea te resalutat. Lugd. Bat. Prid. Kal. Decemb. ∞. Iↄ. LXXXIV.

* *Labor gloria genitor.*

*Ecce tibi ad Busbequium librum & Epistolam. si ita Porreto visum fuerit, tu illi meo nomine dabis. Sed vide vt tales viros conuenias honestè & modestè. Hoc ætatem tuam, hoc institutionem decet. Inter loquendum (moneo enim nunc, quia fortasse non alius tibi monitor) caue tua verba præcipites, ne sint cum Homero** ἔπεα πτερόεντα. *vitium tuum nosti: quod nunc aut numquam corrige, & effer sermones tuos, clarè, articulatè, distinctè. Sed heus tu. de sumptibus itinerariis tuis quid audio? valdè vos quidem largi. Non conueniebat. An tempora hæc nescitis angusta, arcta? Sed ignoscimus tirocinio primi itineris tui, qui dignus aliâs eras acerbiori monitione. Non aliud magis decorum in iuuene, quàm vt per viam gerat se demissè & submissè. Quod in posterum facturum te confido. Vale.* III. *Kal. Decemb.* ∞. Iↄ. LXXXIV.

* *Verba alata.*

EPIST. LXXXIII. Lutetiam.

PAVLO MELISSO S. D.

EPISTOLAM *tuam, mi Melisse, qui non ament indicem constantiæ tuæ in amore. & magis carmen, quod de morbo meo scriptum cum ingenio & adfectu. Gratiam ha-*

tiam habeo, & debeo. Sed te quis Deus, quæ Dea è Germaniâ tuâ mediâ traduxit subitò in Gallos? Amor nisi fallor, non ille à Cypride, sed hic à Phœbo, discendi, videndi, & doctos cognoscendi. Quorum omnium fores & pectora, non dubito quin patescent tibi. Nos etiam in morbo: contra quem animo magis, quàm corpore pugno.

* Morbos necessum ferre cælitus datos.

* Νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν,

ait Sophocles. In I. Guilielmij morte valdè indolui. De vultu aut facie non eum noueram: optimè de animo. nec censeo melius aut rectius ingenium fuisse hoc æuo. Sed Deo ita visum, optimos quosque traducere ad optimam illam vitam. Ad quam in tot turbis & molestiis nos quoque, adspiramus, & te saluere iubemus, optime poëtarum. Lugd. Batauorum, Kal. Decemb. ∞. Iↄ. LXXXIV.

EPIST. LXXXIIII. Vltraiectum.

THEOD. CANTERO V. N.

DIV & sæpe ad te scripturio, mi Cantere: tardauit morbus, qui aliquoties minatus discedere, non discedit. Redit enim per interualla, & cùm seriò surrexisse me censeo, prosternit. Tamen nunc iterum meliusculè est, & omnino aut mensis huius genitalis aura me reficiet, aut nulla. Ad vos cogitaui sæpius. (inuitabat, præter amorem vestrum, aër.) sed absterret via longior, imbecillitas, finitimi etiam nunc terrores. addere audeo & conuiuia vestra: quæ lenta nimis apud vos & lauta. Librum II. Electorum nuper demum tibi per Vulcanium misi. credo accepisti. Cetera cessamus: & satis abundè habeo, si omni curâ corpusculum hoc sustento. Labores certè nec ingenij quidem

fero

fero aut ſubeo, ſine manifeſtâ noxâ. Ferenda iſta: donec aliter viſum magno illi & benigno Deo, qui te mi (antere ſeruet, & me (ſi ita expedit) aliquando firmet. Vale. Lugd. Bat. Non. April. ∞. IↃ. LXXXV.

EPIST. LXXXV. Lutetiam.

R. PINCAEO Senatori regio S. D.

QVAE *hæc tam obuia humanitas tua eſt, Vir Clariſſime? quod vltrò appetendum mihi fuit, ipſe defers vltrò, amicitiam & coniunctionem tuam: quibus, moriar, ſi quidquam mihi gratius accidere poteſt à talibus viris. Splendor, fama, opes haud altè me tangunt: iuuant & penetrant hæc iudicia, quæ proficiſci ſcio à veris myſtis Virtutis & Doctrinæ. Quarum candidatum me non nego: ſed hoc tantùm. & vereor vt purpuram ſeriò vnquam induam tanti honoris. At vos ita benigni, vt non rem tantùm ametis, ſed vmbram etiam & ſpeciem, omnéſque in quorum animis effulget aliqua* τοῦ καλοῦ *imago. Itaque mi Pincæe (amicè & familiariter iamnunc te compello) amorem meum vicißim ſeriò tibi offero: ſpondeóque futurum, prius vt à me excidam, quàm vt ex animo meo illi qui tam procliues ad me amandum. Ampliſſimo quidem Briſſonio, & Regij concilij & cœtus noſtri Præſidi, publicè deuinctum diu me ſcio; priuatim nunc, hâc amicâ ſalutatione. quam meo nomine illi reddes, cumulatam adfectus tui aurâ. Vale Vir Clariſſime, & litterarum hoc iter ſi crebrò teris, gratum mihi: qui nunquam vincar in officij aut fidi amoris curſu. Lugd. Bat.* IX. *Kal. Octob.*

EPIST. LXXXVI. Brugas.

SALVTEM AMICISSIMAM D. IANO LERNVTIO.

TV certè, mi Lernuti, in amore iuxtà & in litteris prolixus. Nam Victor noster quàm breuiculus! In hac raritate nuntiorum, difficultate temporum, tribúsne verbis ad Lipsium? Ita fecit. pro more suo, imò naturâ: quam quia nosco, ignosco. At effusionem tuam amo & amplector: cum quâ iure pariabo. Valetudo nostra ne nunc quidem ex voto. Mensis Maius iuuisse aliquid & vegetasse visus, sed vt in floribus quoque, vigore fluido & haud diuturno. Anceps enim hæc sanitas, mi Lernuti, anceps. Hodie stare me putem? cras relabor. vires recepisse? amitto: & quod medici mecum mirentur, cæcis nec liquentibus caussis. Calores saltem viscerum sentio, & nescio quos edaces æstus. Quid me aliosque fallam? tabes ea est, nisi erro, & certâ sed lentâ viâ eo ad mortem. Nec ingemisce. Deo ita visum: cui nos tam libenter, tam fortiter paremus, vt manum non verterim hoc fiat an illud. Ennianum istud verè proclamo:

Viuam an moriar, nulla in me est metus.

Cur aliter adficiar? Æquissima hæc naturæ lex est, quæ pariter ligat omnes. Carnifex illud Fatum te méque exspectat: & alium alio tempore duci iubet magnus ille Imperator. Ecce tibi plebeium aliquem tam constantem, vt lictorem suum sequatur, & manum vltrò exposcat percussoris: aliena ab eruditis vis ea sit? Non à me: nec præibo ad mollitiem hanc exemplo. Vt fera auis, apertâ caueâ, non eiicitur, sed

tur, sed euolat: sic ego libens in apertum illum purumque campum. At enim iuuenis. Fateor. sed vitæ huius tam satur, quàm Priamus aliquis aut Nestor. Quousque enim eadem? edere, bibere, legere, scribere. & adde miserias, quas largiter suppeditat hoc æuum. Sed mitto hæc sopha: ad mattya venio tuarum litterarum. Electa nostra secunda probari tibi ais vnicè. Gaudeo. eoque magis, quòd seriò verebar ne parum ad Genium priorum scriptorum meorum is fœtus. In morbo quippe conceptus & editus, quid mirum si referat aliquid triste & morbidum, & tabeat ipse à spiritu hoc tabente? Quod si aliter, præter spem meam est, non præter votum. Epigrammata tua in impurum illum valdè pura. Cur plura eius generis non mittis, reficiendi saltem mei? Pascor enim libens hâc ambrosiâ: quam per altum istud otium vbertim necessum tibi est gigni. Sed illa aspis etiamne Audomari? Æternùm velim, necubi propinquior halitu suo vos afflet. Agellius autem eius tam ambitiosè promissus vbi est? Stephanicum enim vidimus, & in eo scommata ac tela non obscurè in istum. O improbum pariter & infelicem! Vbique vapulat, & corpus eius tot cicatricibus infamiæ iam occalluit, vt plagæ nouæ non sit locus. Et tu tamen hoc cadauer petis, me inuito: qui mucronem hunc acutissimi ingenij seruari & dirigi velim in digniorem hostem. Hic quidem calcandus est, non feriendus. & demittat atque abiiciat se necessum est, quisquis eum tangat. De Modio, gratissima. vos monete, firmate, & comitate vestrâ retinete, quæso, in hac meliore vitâ & viâ. Fax aliqua Belgis aliquando ab ingenio illo. Rubicasium nostrum amo & in pectore gero. Litigátne etiam & tricatur? an Grudios nostros potius abiit, sedem illam Musarum olim

rum olim & Gratiarum? Quæ breui assurget nisi fallor, & virorem ac colorem iterum ducet ab hoc Zephyro pacis. Ibi enim certè iam lucescit: si verum quidem est de Machlinia, quam deditam nos audiebamus. Critica nostra en tibi. quibus versiculos de meliore vena, Deo duce, audacter inserui-mus, numero CCC. *vtinam comite Fortuna! Spero. Vxori etiam Culicis illius aliquid concredemus: nec de fide ambigimus, tantùm de successu. Di viales adeste, di præstites, di tutelares. En epistolam, an querelam? meri enim in ea morbi & mortes, quæ non ingrata tamen tibi, si quid in Lipsio gratum habuisti præter corticem hunc externum. Ille enim abiicitur. at Lipsius vester nullus moritur: eumque præire scitote, non perire. Longùm mihi salvete, tu, vxor, liberi. Lugd. in Bat. Kalend. Sextilib.*

EPIST. LXXXVII. Lutetiam.

ERRICO MEMMIO V. A. S. D.

ANIMVM *sæpè corpori imperare, vir Amplissime, non vanè dictum. Ego testis. Ecce enim cùm Iani Gulielmij epistola ad me venisset amoris & iudicij tui de me index; etsi languebam ex acri & difficili morbo (nam hepar mihi laborat ex inflammatione & infarctu) tamen animum secuta hæc manus est, & per adfectum potui quod vix per vires. Scribo igitur, & gratias seriò tibi ago pro amico isto in me animo, in eoque vt perseueres, si necessum est, rogo. Etsi cur necessum? quem vltrò amandum dilegisti, non sperne, vt opinor, cupientem iam, imò ambientem. Vtar enim isto verbo. & ambio reuera amicitiam talium virorum & gratiam, quos velut sidera quædam huius æui habeo, &*

beo, & à quibus lucem conciliare me posse scio pallenti meæ famæ. Quam vulgarem, & à vulgo, nihil moror: bonam, & à bonis, nunquam contemnam. Vale Amplis. Domine, & à valente me litteras pleniores exspecta, & , vt sic dicam, magis robustas. Lugd. Bat. IV. Kal. Octobr. ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST. LXXXVIII. In Holsatiam.

HENRICO RANZOVIO, Viro illustri, Vicario Regis Daniæ, Salutem mitto.

LEVEM significationem animi & iudicij tui, Vir illustris, pro beneficio habuerim: quid censes hoc testimonium & litteras, tam amicè ad me, tam honestè de me scriptas?

Omnes mortales sese laudari expetunt,

ait poëta vetus: non valdè tamen ego, nisi à laudatis. Inter eos autem, quis ante Ranzouium mihi sit? Genus tuum intueor? nobilissimus es. Famam? clarissimus. Virtutem & doctrinam? vtrâque maximus. nec facilè quem his iunctim rebus prætulerim tibi, reperiam in Europâ. Itaque beasti me hoc tuo iudicio, beasti. & iam demum Constantia nostra mihi placet, cùm illa vobis. Incitor ad scribenda talia: quæ apud rectas istas mentes recta. Tribuni illi, quos indicas, me absterreant? nihil. iactent se apud suam plebem: mihi adfatim satisfacitur, si eques hic plaudat & Senatus. Vt eadem purpura homines delectat & ad gaudium prouocat, tauros offendit & irritat ad pugnam: sic eadem veritas aut virtus intellegentes capit, lædit improbos & imperitos. Itaque scribere hæc talia (quidquid incurrant) nihil tardor.

& ut Luna, quod luminis à Sole accepit, infero huic mundo refundit: sic libens ego dona, quæ à magno illo deo. Qui te, Vir illustris, reip. & bonis seruet: & mihi hunc animum tuum, quem tam amanter defers. Vale. Lugduni Bat. Idib. Februar. ∞. IƆ. LXXXV.

EPIST. LXXXIX. Delfos.

PAVLO BVSIO V. Ampliss. S. D.

CVRATOREM *te (ita iamnunc intellego) huic Scholæ datum, Vir amplissime, iure tibi, & magis nobis gratulamur. Tibi honorem aliquem: nobis grande beneficium, quod ab hâc electione meritò speramus. Speramus? imò iam tenemus. ea voluntas tua est in iuuandis optimis studiis, ea facultas. Illa clara, qui omnia pro nobis egeris, laboraueris, re priusquam titulo Curator. ista etiam non obscura, qui magnus apud magnos. Sedes in hac publicâ, vt sic dicam, naui, non inter remiges aut nauales socios, sed inter eos qui ad gubernacula & ad clauum. Vis igitur, & potes: & ideò adfirmatio mihi non iniusta de adfectu optimo & effectu. Sed sub initia tuæ Curæ, ingeram tibi maximè curas duas, de Collegio & Philosophiâ. Diu nimis dilata vtraque res, cum nostro, imò cum patriæ damno. Collegium inquam ante omnia instituendum est, in quo ali iuuentus aliqua possit: certo numero, disciplinâ, lege. Domus iis vna sit, vna mensa, vnum caput: lectiones variæ, pro captu cuiusque, & pro iudicio Præfecti. cui hic & alibi districtè parebunt. Numerum esse quam maximum velim: certè non infra tricenos aut quadragenos. Sumptus in eam rem aliqui, fateor, sed exigui pro fructu. Hoc seminarium lectissimorum*

ctissimorum hominum erit: hæc seges eorum, qui ad Ecclesiam, ad remp. admouendi. Nec alios legi quàm ex ipsâ patriâ velim, qui in eâ, pro eâ, & ab eâ alentur. Cur enim lac maternum hoc germanæ soboli præreptum, indulgeatur & immulgeatur externis? ne facite: & sumptus à vobis, ad vos iterum redundent. Cetera quæ ad legem & disciplinam, tunc distinctè superædificabo & addam, cùm positum hoc fundamentum. Quod si Ordinibus de Collegio ægrè aut tardè persuademus, (tempora video & impensas:) age, inite saltem hanc viam alteram quæ impendij minus habeat, compendij non minus: me iudice, magis. Pro Collegio, substituite Mensam communem. Ita suadeo ad Germanorum aliquot Principum exemplum. qui in Academiis (vtamur voce tritâ) subsidium hoc subtiliter & vtiliter inuenêre paupertinæ iuuentuti. Domum aliquam à se præbent, instruunt: nec eam nimis laxam. In hac Oeconomum cum familiâ collocant: cui cura nulla præter eorum quæ ad victum. Conueniunt cum eo certis legibus: & ferè istis. Domum hanc tibi & familiæ habeto. frumenti annui tantum numerum, ad panem: tantum, ad zythum siue ad potum. Iuuenes cottidiè ad mensam recipies quadragenos, quinquagenos. pro obsonio viritim quid pendent? Et ferè in septimanas conuenit de pretio aliquo minuto: idque vnum onus (excipio quòd cubiculum sibi quisque parat) incumbit iuuentuti. Singuli inquam pro obsonio obligantur, cetera liberi & immunes. Sed id quoque leges suas accipit, quantum & quale ab Oeconomo detur. Iam Rectoris & Professorum illa cura est; qui ad hanc Mensam admittantur, qui admissi reiiciantur: & quater anno recensus habetur & examen eorum, qui beneficio Principali digni siue indigni.

digni. Submouentur, retinentur, subrogantur, vt collegio illi visum. Conuiuiolum iisdem tunc, pro labore. Mihi crede, non alia res sumptum minus grandem habet, fructum magis certum. Nam in ordinariis illis collegiis, scimus quàm multa ambitu peccentur, admittendo, reiiciendo: scimus quàm verba ferè sint, præclaræ illæ de disciplinâ leges. Itaque minus compositi plerumque egrediuntur, è compositissimâ tali domo. Nescio enim quomodo, assidua conuictio illa & contubernium, non ex vsu iuuentutis: qui, vtcumque arceas aut separes, sermones communicant, consilia, vitia, sordes. & hinc lasciuiunt, degenerant. Non id peccati in meâ Domo, in quâ præter mensam nil commune. Nec aliud ea est, quàm velut publicum Diuersorium: sed parcum, sed honestum. Cogitabis: & cùm voles, colloquemur. Iam de Philosophiâ, quàm turpe! ceteras hîc minores & velut ancillas artes coli & colere: neglegi illam dominam & reginam? locum ei non esse in proprio suo loco? Quò enim aliter hæc omnis Academiarum institutio, quàm ad Prudentiam Sapientiámque inprimis spectat? Atqui ad eas Philosophia ducit: quam tu, Vir sapientissime, induce. Barbaries te terret, & spinosa illa viarum? Pelle illam, has purga: quas patres nostri malis tribulis, malis scrupis, impleuêre, per prauum acumen. Ipsam illam legitimam Diuam reuocari à te volo: non hanc squallidam & personatam, sed in vero suo vultu. Scholarum hunc ante annos trecentos aut quadringentos vsum siue abusum cur teneas? Sperne. & reduc omnia ad veterem verámque formam: cui, præter fructum, par dignitas & venustas. Quis enim amœnior adolescens ad illa tam inamœna veniat? fugiunt imò cùm aduenêre: & imbibere non iniuriâ spernunt ab-

nunt absinthium illud doctrinarum. Nos Aristotelem reducimus: sed ipsum. &, si me audis, non solum. Ipsum dico. quia obscuri illi & aculeati Commentarij cui rei? Detorquent rectissima ingenia, & in acuminum flexuosos labyrinthos abducunt à vero Philosophiæ fine. Ipsum legisse & intellexisse satis sit: & maximè in iis libris, quos hi minimè legunt. Logica illa ætatem eos occupant: concepta ab Aristotele fortasse, numquam ita scripta. Politica quis tangit? quis De animalibus? aliaque diuina, ob quæ mirati illum nos & prisci. Nam Ethica ipsa, leuiter libant & velut in transcursu. Scilicet hoc iamdiu moribus his obtinuit, vt nulla pars minus ad Philosophiam facere censeatur, quàm quæ ad mores. Atqui ea præcipua erat, vel verius sola. Iam, nec solum, addidi: & bono iure. Cur enim vni Aristoteli locus in hoc procinctu? Ille signifer esto: committent tamen alij, & in vnâ legione non vnus saltem Centurio aut Tribunus. Plato aliquod agmen mihi ducat, aliquod Epictetus, Plutarchus, Seneca: & in opinionum nonnullâ varietate, omnes tamen pro Sapientiâ & sub eâ pugnent. In Ciuili & Morali eius parte, an ille à Lycæo indignetur Platonem sibi apponi? imò fortasse nec præponi. ita diuinitus libri illi De rep. & Legibus magnâ ex parte concepti sunt & conscripti. An Senecam sæpe & Plutarchum? gaudeat potius in acri & arduâ militiâ hos sibi iungi velut optiones. Idemque de Physicis censeam: ad quæ & Senecæ Quæstiones Naturales, & Lucretij etiam liber sextus, aliquod, me arbitro, adferant momentum. Nec enim vel poëtas expunxerim ex hoc maniplo: & cum fructu hæc talia publicitùs legi censeam in Scholis. Sed plura item & distinctè magis huius rei, coràm. Illud mihi non monendus es sed

rogandus,

rogandus, ne te aliorsum trahant iudicia quorumdam. Nouam viam noui homines ineunt: & explosâ illâ sectâ veteri, sapientiæ frugem quærunt in agellis Rami aut Philippi. Quid dicam? neutrum culpo. vterque doctus, sedulus, industrius: sed valdè erro, si errorem hunc errare nos voluerunt ipsi. Compendia perueniendi conscripserunt: an vetuerunt adire loca ipsa? Atqui isti ita eos complectuntur, vt non viam illos, sed metam censeant: nec per eos ad veteres transitum faciant, sed in his subsistant. De Philippo, vt vir fuit, aliam ei mentem fuisse planè scio: de Ramo, spero. Quod si alteruter hoc adfectauit: si ipse solum illud Sapientiæ insidere, priscis eiectis: næ ille apud sapientes omnes valdè insipiens. & quem istiipsi tyrunculi Principatu mox deiicient, qui per seditionem elegêre. Puerorum enim ista (dicam liberè) illudia, & Saturnalitia dierum aliquot regna. Nec tamen eos sperno aut refuto prorsus (scio & fateor multa in his breuitate & ordine bona:) manêre tamen intra fortunam suam iubeo, contentos parietibus & auditionibus priuatis. Puluerem scholasticum & aërem adfectant? non ferent: obruentur siculis & pugionibus istorum, qui à Veteribus illis castris. Iuuentus nostra à me hoc audiat: Numquam ille magnus erit, cui Ramus est magnus. Pergebam in hac scriptione: (vides quàm benigna materia:) reuocant me non meæ occupationes, sed tuæ. Eas aspicio: & in ambulatiunculam nostram vnam aut cenulam potius hæc conferam, quàm vt manum tibi & mentem impleam epistolâ tam longâ. Quod initio dixi, repeto: gratulari me, & optare vt curæ has curas habere possis, non rogare. Cur enim rogem? scio te iuxtà ac me velle: nec penes te vnquam culpam futuram non impetrati, non effecti.

Deus

Deus illis in quorum manu res est, tuam mentem det, tibi seruet. Vale Amplissime & amicissime vir. Lugd. Batauor. IV. *Idus Iulias* ꝏ. IↃ. LXXXIII.

EPIST. XC. Vltraiectum.

FLORENTIO THINNIO
Syndico reipub. eius.

SILVI *aliquamdiu Vir amicissime: sed (dicam veram causam) fiducià solà amoris. Obliuio tui fuerit? absit. hæres mihi tu & humanitas tua in medullis. Neglegentia mea? nec illa. quia alibi socors, numquam in hac parte quæ ad amicos. Amor, inquam, fuit, firmus inter nos amor: & ab eo fiducia, quia tam certus eram non irasci te posse Lipsio, quàm non amare. Et tamen siquid hîc quoque culpæ, morbus excuset: sub cuius vmbone sæpe nunc in his talibus latito & me defendo. Nam etiamnunc apud me ille hospes, lentus, deses, certus non abire. Vitrioli acetum à te nuper accepi, siquid acria eum fortasse fugarent: & vtor. Nam nec Heurnius noster improbat, medicus mihi in omni hoc morbo fidus, peritus, & (quæ laus ei propria) cautus. Refrigerat sanè aperitque insigniter: sed nocet exsiccando. Itaque nondum plenè iuuat. A Pollione nostro ante biduum ad me litteræ. Omnia, quæ volumus. Aureliani sanus agit: Furnerio innotuit: pecuniam accepit. Consulit super abitu, aut mansione. Illum ego suadeam, vt rem video & natas in regione eâ de subitò turbas. Et Basilæam (ut te à mihi scriptum) cur non emigret? placet locus, incolæ, mores. Atque adeò si nulla vis alia aut metus expellat, suadeam Germaniæ tamen adspectum. Vtile enim & è re peregri-*

nantium, qui Galliam insederint, in illam transilire: vt si-quid ex gente istâ adhæserit exsultans, diluant siue tempe-rent Germanâ grauitate. Quærit & de Titulo, Vbi? Ego, dum rem adferat, Aureliani an Biturigis, non discernam. Et illam adferet, aut valdè me fallent semina quæ hîc iecerat firmioris doctrinæ. De rep. non illa mea cura. Tamen ex-cusso Palinuro nostro valdè fluctuatur hæc nauis, nec Æneam aliquem promptum video qui succedat ad clauum. Varij inter Ordines sensus: benè, si non dissensus. Deus videbit: ad quem confugio. quia, vt scitè Plinius, tunc vo-torum præcipuus locus est, cùm spei nullus est. *Quæ ipsa vota mihi interposita pro tuâ meâque (si ita expedit) sa-lute. Vale. Lugduni Batauor. a. d.* XII. *Kalend. Iulias.* ∞. IↃ. LXXXV.

EPIST. XCI.

CAROLO CLVSIO V. C.

MI Clusi, & litteras tuas accepi, & cum iis thesau-rum (ex animo sic appello.) hortensem. Cariores mihi Bulbi illi Tuliparum selectarum quos ad me mittis, quàm si globulos totidem ex auro vel argento. Vulgus non credat? ego de meo animo, & ex animo loquor. Grandes tibi gratias habeo: & cùm habeo, debeo: ac debebo semper. Infortunium quod in pede tibi euenit, mihi dolet: sed quid? Tu hanc sortem, ego aliam: & quemque clade aliquâ inter-nâ siue externâ afficit Homerica illa Ate. Dea tristis, ama-ra, perambulat hunc orbem, nescio quomodo magis celeri pede, quàm candidæ Litæ. At tu quiescis, & id luges. Vti-nam nobis domi illa desidia! Sed (en tempora, mi Clusi, im-minent)

minent) iactamur & pellimur ad nescio quæ terrarum. Nam hic palam discidia. Tamen sermo etiam aliquis de Frene: sed vereor, vt sermo. Te vocaui nuper: nunc reuoco, cùm video instabilem statum. Nos in studiis agimus, & promouemus haud multum inter tot turbas: tamen his diebus feriatis nescio quid in Senecam adnotauimus Tragicum. quæ mitto, si te fortè delectat ille poëta. Paramus Politica, & grandiora quædam; sed quid mihi aut tibi spondeam, per hæc tempora & valetudinem hanc incertam? Hoc vnum. amare me virtutem, doctrinam, & amaturum semper: eosque qui eâ præditi. te, mi Clusi, inter primos. Vale. Lugd. Bat. VII. Kal. Nouemb.

EPIST. XCII. Preslauiam.

ANDREAE DVDITHIO V. N. Cæs. Consiliario S. D.

IN *ruborem me das hâc humanitate tuâ, Vir Illustris. Scribis vltrò, compellas vltrò: & promis atque offers ea, quæ improbæ penè mentis sit à tali viro sperasse. Ego enim te noui, Dudithi. Et quamquam inter nos multæ terræ, multi montes: tamen etiam huc penetrauit se dudú fama nominis tui & virtutis. Boni omnes ita me probent amentq., vt iam pridem ego te, etsi tacito dumtaxat quodam sensu. Quæ enim mihi occasio aperiendi? ad quam præiuisse nunc te & velut strauisse hoc iter beniuolentiæ & amoris, sanè gaudeo. In quo sedulò & cum fide decurrendo, numquam erit vt vincar. Libellos nostros & constantiam laudas. mentiar, nisi id mihi gratum: non quia laudes me capiant nimis aut titillent, sed quia testimonia talium virorum. Itaque ad-*

*quæ addis ad reliqua calcar. quo egere nos interdum fateor, ob iudicia siue calumnias quorundam. Nam valetudo mea nunc (propitio Deo dixerim) nihil impedit: & querela illa, quam Constantiæ subtexui, scripta in morbo meo ante aliquot annos. De Amphitheatro librum edidimus: quem mitto ad te non vt munus, sed nouæ amicitiæ velut arram. Supersunt Saturnalium aliquot libri: qui digesti, imò perfecti, nisi quòd aliquam exspectant iudicij limam. Quam haut facilè adhibeo, partim negotiis districtus, partim his bellis: contra quæ etsi stamus erecti, tamen auocant sæpe hunc animum à talibus cogitationibus, & in se intendunt. Remedium tu amicè offers (scio enim quod domicilium & apud quem designes:) & exosculor adfectum. Sed multa mihi nunc impedimento. Familia, vxor (nulli tamen liberi) parui è sorore nepotes, quibus tutor ego, illâ nuper mortuâ, imò velut pater. Sed nec corpus mihi nimis firmum ad longum iter: etsi integra adhuc & viridis ætas. Itaque non decretum mihi commouere ex hac patriâ, nisi fluctu aliquo maiore expellar. quod non semel nobis timendum videtur in hâc tam diuturnâ tempestate. Alioqui beniuolè me habent Batauí, & stipendio sanè honesto. Nicasium Ellebodum ab adspectu numquam noui, optimè à nomine: iam tunc cùm Romæ apud Cardin. Granuellanum agerem, paucis mensibus post eius discessum. Nam ipse tunc Patauij: & scio me aliquando ad eum scripsisse Cardinalis nomine & iussu. Scire velim viuátne, & ecquid agat. Idem de Michaële Bruto: quem ex Epistolis editis video tibi amicum, itemque ex Præfatione eâ quæ in iudicio tuo de Cometis. quem libellum iam olim audè legi & cum fructu. De * * Mathematico scripseram olim ad Ortelium, sed nescio*

reuera

reuera sit ne futurus ad saluam tuam & ad gustum. Mathematicus enim merus est, sine alia arte, imò pænè lingua. denique ex genere, qui μηχανοποιοὶ potius quàm θεωρητικοί. Adde quòd ægrè nunc auellatur ab his locis, in quibus arti eius honos & vsus. Siquid de altero eruam, non grauabor indicare. Donellus Iurisc. amicè te resalutat. quem Norici abstrahere conati à nobis ad Altfordianam Academiam, frustrà. Manet enim mansurúsque est, quamdiu hæc schola. Valdè & tibi se insinuat noster Dousa: itémque Plantinus, qui apud nos nunc agit, & casu cùm has scriberem interuênit. Vale Amplissime & nobiliss. Dom. Lugduni Batauorum. ∞. IƆ. LXXXIV. *Saluto ex animo D. Monauium, si est istic.*

EPIST. XCIII. Middelburgum.

IANO GRVTERO S. D.

IMPEDITVM *in Galliam iter tuum molestè fero. & hoc tamen malo, quàm vt cùm perueneris, periculum tibi aut fuga. Quamquam rumores illi magis grandes fortasse, quàm graues. Sanè qui modestiores illinc veniunt, omnia magis placida nuntiant, nec de bello etiamnunc aperto. Suspectam tamen pacem esse fateor: sed quando non in illâ gente? vtique hoc statu: quo de religione illud dissidium malè sartum malè coit. Consilium tamen à me si quæris: ego censeam per Galliam transire te posse ad Germaniæ fines. Basilæam vel Argentoratum dico: atque illic velut è speculâ prospicere quis in Galliâ ventus. Si Zephyri pacati: redire. si Austri aut Noti: hærere apud crassiorem, sed & quietiorem gentem. Omnino consilium non est, dare te frustrà &*

strâ & cupide in turbas. quarum si tibi amor: mane apud infelices Belgas. De Electis meis. si is, fer ad Brissonium vnà: si manes aut aliud iter capis, remitte. Nam vt per nuntium, non sunt tanti. atque ego tantùm munus illud velut conciliando tibi viro magno dederam, & aditu muniendo. Vale, & salue à me nondum saluo. Lugd. Bat. XIV. *Kal. Maias.* ∞. IↃ. LXXXV.

EPIST. XCIV. Antuerpiam.

ADOLPHO METKERCHO Præsidi Flandriæ S. D.

QVOD *rarius te appello, Vir amplissime, ab occupationibus tuis est, non à meis. Illis hoc largior: quas cùm in reipub. curâ & patriæ nostræ salute defigas, non inscitus solùm sed impius sim, si temerè interpellem. Et verò quid magnoperè ad te scribam, præter colere me & amare? neutrum ambiguum, qui deberi hoc tibi à bonis omnibus scis & iam reddi. Effecit enim dudum* (rarum in πολιτεύταις) *integritas tua & mira probitas, vt inuidiam odiumque non minus in aliis viceris, quàm auaritiam in te & ambitionem. Ad patriæ salutem consilia tua omnia diriguntur; ad tuam, ciuium vota. Sed hæc apud alios malo. Studia nostra per has turbas non vigent, sed nec planè cessant. Aliquid De Pronunciatione linguæ Latinæ meditabamur, vt tu de Græcæ: sed exemplo magis eodem, quàm curâ fortasse aut successu. Tenuis enim hæc materia: & quam vix impleam, nisi à suspicionibus & coniecturis. Nam auctoritatum nos hic ferè inopes. Plantinus etiam ad Grammaticam concinnandam impellebat, quæ communis Belgio vniuerso. sperabat id*

bat id enim Ordines decreturos. Vix ego, nec si faciant tamen, valdè ingenio aut Genio meo scriptio talis. Quamquam fateor vtilissimi instituti rem fore: nec magis peccari in iuuentute instituendâ, quàm hac Grammaticarum varietate. Inter magistellos factionum res est: & quisque hanc aut illam præfert, quia posthabuit eam alter. Iam illi ipsi qui condunt, quid? hoc vno reges. Mihi puero triplex olim Grammatica prælecta, in triplici migratione. Ad annum decimumtertium nugæ illæ tenuerunt; & adfirmo tibi ab anno octauo eadem me tenuisse, etsi non eodem modo. Quinque illi anni si in stilo & grauiorum rerum scientiâ positi fuissent, quis mihi fructus? Et hæc peccantur cottidie, non tam imperitiâ, quàm ambitu docentium & prauitate. Cui vos quoque, velut publico malo, mederi par sit: si tamen à grauioribus illis respiratis paulùm & ad mortem morbis. Quos deus aliquando à miserâ hac Belgicâ auertat, & te Vir Amplissime nobis illique seruet. Vale. Lugd. Bat. III. Idus Nouemb. ∞. IƆ. LXXXII.

EPIST. XCV. Lutetiam.

M. VALERIO COLLINO S. multam precor.

NON *largiter solùm, mi Colline, sed, quæ maior laus, firmiter amas. Louanij cœpisti: comitatus te in Galliam adfectus etiamnunc non deserit, etsi in temporum & locorũ grandi interuallo. Adde inter nos silentium. quod frigus inducere potuerit vel incitatissimo amori. At tuus nec intepuit quidẽ: & scintillas acres sparsas video & colligo in epistolæ tuæ omni parte. Redamo, redamo, & iure,*

pectus tam fidum, tam amicum. Locum sic satis honestum tibi illic esse gratulor: nec, si me audis, muta. Ad patriam enim cur aspires? Zephyri interdum aliqui melioris spei, fateor: sed turbant subitò ex transuerso Noti. Cur autem iuuenilem hanc, vt sic dicam, nauim in feruidum illud fretum immittas, cùm statio tibi aliqua saltem, si non portus? Obdura. credo aliquando, post tam diuturnas tenebras, miseris Belgis sol aliquis illucebit firmioris pacis. Nos quoque non mutamus: etsi exteri ianuam aperiant & inuitent. De pugnis, quas in improbos quosdam pro me pugnas, (ita scribis:) gratum, nec gratum. Ab adfectu, gratum: re displicet & effectu. Quid enim litigio isto vincis? Non illos meliores facis: non me honestiorem, quem nihil maculant linguarum illæ sordes. Ita seriò sentio. laudari me, cùm culpant tam illaudati. Non virus illud homuncionis ego noui? inter cuius minimas culpas est liuor. Alta peccata sunt, quæ ipsum eosque perdiderunt & perdunt, qui adhærescunt. imò qui tangunt. Tu fuge igitur, non pugna. Cessisse hîc præstat, quàm incessisse: quia nec vincis quidem ac repellis sine maculâ tam maculosos. De Hospitalij Epistolis editis, valdè gratum. haueo inspicere: magis quàm illos ad Ciceronem Commentarios, famæ grandioris quàm rei. Quid refert? emptores suos, imò & amatores reperient vana illa doctrinarum. Nos solida nihilominus amabimus, contra iudicium hoc vulgi; & te vnà, mi Colline, quamdiu tu me & virtutem. Vale. Lugd. Bat. Pridie Kal. Septemb. ∞. Iↄ. LXXXV.

EPIST.

EPIST. XCVI.

IANO DOVSAE meo S. dico.

LEGI ad vxorem litteras tuas, quæ de me erant. Bellum hominem & facetum! qui tam arguto schemate scribis ad me, & non scribis. Quid censes? excusatum iri te? Non debebas. præsertim cùm non alieni solùm multi huc cottidie, sed ipse à te tuus homo. Et tamen excuso. non tam arte istâ captus, quàm inductus à naturâ tuâ: quam cetera efficientissimam, cessare plerumque scio & fastidire in scribendo. Culpa ea in amicitiâ, fateor: sed cui non sua labes? Nec circumfusa illa Thetys eam in te eluerit suis vndis: nedum vt ego me postulem minis. Taceo igitur, & patior. Emansio vestra præter vulgi vota & nostram spem est. Etiámne in illâ aulâ tricæ & remoræ? nec tamen miror in re tam intricatâ: cui, in vrbe vrbium iam amissâ, nouus nodus. Multi apud nos concidunt, multi dilabuntur. è familiaribus tuis abit quantû potest Iupiter ille Tonans. Iam valedixit, iam sarcinas collegit, iam est in viâ. non tenuerint hominem Batauæ omnes quadrigæ. O vim metus, & verè.* πανόπτειον δεῖμα! A quo pennas etiam Hybrida noster sumit, ad eamdem fugam. qui tamen dissimulat, & resistet, vt ait, hac hieme: scilicet cum ciconiis ad vos venturus, sub æstatem. Ceteri valemus, & stamus. Valemus. vt & me includam: haud planè etiam firmum, adsidentem tamen iam sanis, imò & accumbentem. Nam conuiuiola inire & obire hilariter audemus: quibus ades plurimum, & non ades. Nam mens nostra sæpe apud te, & de te lingua. At inuitatiunculâ tuâ & illorum

* timor passis alis.

procerum nunc non vtor. Di boni, quàm voluissem nobilissimam insulam! Sed anteà languor impediuit; nunc hiems, quæ per continentes has tempestates occupat præmaturè. E Galliâ mihi litteræ; & hoc noui, Petronium ibi recusum cum tuis Notis. Apud me est, videbis redux. De Mureto, nunciant Vixisse. anteà tamen Senecam Romæ edidisse castigatum & illustratum. Valdè vellem vidisse. Rogersius noster istic qui valet? quem inuideo tibi, te illi. Fabulamini enim assiduè, muginamini, & estis vnà quando libet, quamdiu libet. ô beatum par! & quod vtinam per me impar! Saluta sodes, & excusa me de silentio iustissimâ morbi caussâ. Sed heus tu! imitabor tuum σόφισμα, *& ad alium in hac epistolâ scribam. Cognatus mihi illic est in comitatu Busij, ... appella hominem, saluta, (caue neglexeris.) dic accepisse vnas eius litteras, cupere plures. responsurum me in breui impeditum adhuc morbo. O velum mihi vtile, & hac saltem parte salutarem morbum! patrocinatur in omni culpâ. Tu ne inuide. cui frons tam dura, vt excusari etiam poscas & possis sine illo. Nos editionem Epistolarum paramus (siquid fortè subitum in hoc morbo) & iam concinnauimus ad libros plures. Tardat, quòd odium alibi aut inuidiam veremur, ex candore & libertate. Quomodo tamen aliter ad amicos scribamus? Sed videbo, & incidam aut recidam: nequi noui in nos venti. Qui vtinam te referant, mihi, vxorique! quorum alter te amat, altera perit. Vale. Lugduni nostræ, Kal. Septemb.* ∞. Iↄ. LXXXV.

EPIST. XCVII. Leodium.

LAEVINO TORRENTIO
V. Amplissimo S. D.

LITTERAE *tuæ quàm gratæ mihi acciderint, haud facilè effabor. Mittentem intueor? scio ab eo viro, à quo nosci perhonestum, non dicam compellari. Ipsas? plenæ sunt fidæ cuiusdam beniuolentiæ & salutarium præceptorum. Et fateor, de Constantiâ meâ iure ita sentis. Aptare enim veterem philosophiam ad Christianam veritatem volui: & in cogitatione eâ totus dum sum, illapsa & elapsa mihi quædam fortasse, quæ illam magis sapiant quàm istam. Non purgo. correctionem imò polliceor: & effecturum me vt ad culmen illud veniam, à primo isto velut gradu. Ego enim seriò scio & sentio, in vno Deo & filio eius Christo, qui nos benignè redemit, liberauit, spem omnem positam humanæ salutis. Vias ad eam perueniendi, expressas in Sacris litteris. nec hæc externa omnia, & Philologa siue Philosopha, aliud esse quàm accessiones quasdam & ornamenta: folia inquam, non fructus. Quod iudicium meum in isto ipso de Constantiâ libro in fronte apparebit: qui iam iterum sub Plantiniano prælo. At Senecam & Stoicos admiratus sum. Certè. sed non vt qui verum, me iudice, viderint: sed qui paulo magis tamen in iis tenebris oculos aperuerint, quàm ceterum vulgus. De immortalitate nostrâ aut malè aut timidè senserunt & scripserunt: esto. (etsi disputari eâ de re potest) deum tamen aspice: quæ secta aut illum magis aperuit & homini inseruit, aut ea quæ ad ipsum? maiestatem dico eius, prouidentiam, gubernationem, & curam no-*

stri. Quem primum limitem esse ad cognitionem & amorem veri dei, nemo negat. Hæc mihi sectam illam non probam prorsus fecerunt (absit:) sed probabilem tamen supra ceteras, quæ magis humi & circa hominem repunt. Iam de moribus & animorum lustratione, quis Senecæ, Epicteto, Arriano (quanquam ille, Epictetus alter est, & loquitur ferè eius verbis). hâc parte præponendus? Multa & præclara Plato, confiteor, multa Aristoteles: sed non robore eodem aut neruis. Spirat nescio quis calor in Senecæ aut Epicteti scriptis, qui ad lectorem quoque peruenit: nec differere illi magis de virtute videntur, quàm inserere & inculcare. Quod si vitâ eam & factis non expressere: quid miramur? Veræ fidei & veræ lucis fulcrum illud defuit: cui qui non innixus, necessum est in partem aliquam ruat. Et tamen hîc quoque facilè peccari sentio, si quis eos nimis apud lubricam iuuentutem hanc miretur & laudet. Abstrahat enim à veris & legitimis illis animorum medicis, alliget ad agyrtas istos. quod cùm aliis, tum mihi quoque deinceps censeo cauendum. Non enim satis, ne ipse errem, sed ne alteri sim erroris caussa. Itaque, vt illuc redeam, iure quædam in scripto illo meo desideras: & præsertim magis expressam pietatem. Quam ego, te hortatore & duce, non animo meo deinceps geram inclusam, sed proferam & præferam clarè in scriptis: Factum antè à me parcius, (si veram caussam vis) in hoc ancipiti statu rerum & varietate iudiciorum, metu offensionum. At ego te sequor: nec inuitus in placidum illud mare rapior ab hoc Torrente. Quod superest, & te (vir maxime) ex animo amari & coli à me scito; & canam illam veritatem. De Dousâ hoc quoque confirmo, virum modestissimum optimumque esse, & tui amantem.

amantem. Plantinus ad nos redierat: è quo speramus aliquid audituros de tuis scriptis: quæ æstimari magis à nobis scito, quàm apud te promo. Vale. Lugd. Bat. Prid. Nonas Maij. ∞. Iͻ. LXXXIV. *Dominic. Lampsonium valdè velim à me salutes. cuius litteras accepi, at non illud quod in iis promissum. item Lauineium, sororis tuæ filium.*

EPIST. XCIIX. Lutetiam.

HENR. WILTIO S. D.

QVOD *salui adueneritis, idque ex litteris tuis intellexerim, valdè gratum. contrà molestissimum audire, de morte Sigonij & Guilielmij. Sed ille præter ætatem nihil passus est, (canescebat enim:) & fructus vberes cepit & reliquit studiorum suorum. Iste noster, exstinctus in ipso æui & ingenij flore. Feramus. & vereor vt hic annus fatalis sit ingenio non vni. Me quoque carpit lentè morbus: etsi mitior nunc paullò molliorque. Lutetiæ, siue in plerâque Galliâ totâ, pestiferam luem vigere audio: caue & fuge, quantum humaniter licet. Abstine à discursu, ab intemperie, luxu, & inprimis ab insolenti illo Baccho. Nisi caues, fatum tibi per illam viam. Melissum istic esse, gaudeo: & magis si vsus tibi cum illo. Velim te in hâc peregrinatione innotescere viris, qui claritatis aliquid habent ab ingenio & scriptis. Hæc enim res ad tuam lucem. De Cuiacio quid est? Auaricíne agit? an Lutetiæ est in consilio Regis? Ita nescio quis rumor ad me adfert. Tu hæc & talia scribes: quæ grata nobis scis intellectu. Eidem viro epistolam meam ostendere poteris ad Ianum Guilielmium (si tamen occasio erit) quia, si memini, quædam in eâ quæ ad illum.*

ad illum. Aperi prius, & vide: & quod videbitur face. Sed ô illius alumni nostri ignauam ignauiam! itan' eum perdidisse aut proiecisse commissas litteras? At ego de superbia aut contemptu pericliter apud Memmium, Pincæum, Faucerium, quem Leidæ olim nosti. Plura vetat languor: nec manus aut mens mihi satis prompta ad scribendum. Deum rogo te seruet, & augeat cum annis modestiam & virtutem. Scribe ad me quidquid ibi noui. Lugd. Bat. Kal. Decemb. ∞. IↃ. LXXXIV.

I. Aurato viro & poëtæ summo, item Passeratio à me salutem.

EPIST. XCIX. Antuerpiam.

IOH. ROTARIO S. D.

Et ipsæ litteræ tuæ, Vir prudentissime, mihi gratæ: & gratior caussa, quæ te impulit ad scribendum. Amor enim & humanitas est: quem nisi mutuum amem manantem à tam puro fonte, durus sim & inhumanus. Atque ego te, mi Rotari (verè & sine blanditiis dicam) iam antè inter iunctos habebam & inter caros. ita multa de virtute tuâ audiebam, & studio sapientiæ & doctrinæ. quod rarum inter tui ordinis homines, quibus pennatus ille deus carior est quàm* laureatus. Nunc autem à te litteris tam amantibus prouocatus, sequar in hunc amicitiæ campum, nec vinci me patiar officiis, quæ ab animo quidem sunt & adfectu. Constantiam nostram à te probari gaudeo. & magis illud, quòd significas te iam olim in studiis his Sapientiæ deditum: quæ sperni scio à quibusdam vt superuacua,*

*Mercurius.
*Phœbus.

peruacua, & in quibus parum ad virtutem momenti. Sed errant. quoniam etsi à diuinis litteris verum omne robur, & purâ luce nos perfundi fatear pietatis: sunt tamen hæc iuxta diuinum verbum adminicula quædam, quibus dirigi & firmari possint vacillantes isti gressus. Nam quin castè & cautè Philosophiâ vtendum sit, non abnego: eáque ad normam & velut lapidem exploranda cælestis legis. cùm quâ tamen consentire pleramque eam (dico quæ de Moribus est) quis item neget? In Platone, Trismegisto, Epicteto, Arriano, altas præclarásque multas voces reperio. quid refert à quo eæ profusæ, si ab vno illo spiritu Veritatis? Quem inspirasse, vbi libuit, prisca illa etiam pectora, & oracula edidisse per homines vanos & profanos, nihil ambigo. Inter vetustissimos Iobum vide. quem è gente electâ fuisse non censent, & tamen scripsisse omnia electa. Mercurium illum ter maximum, quem dixi. mysteria in eo multa & arcana nostræ legis; etsi Ægyptium fuisse traditum sit, nec imbutum veris sacris. Idem in Philosophis est, & omni illa scholâ quæ à Socrate. quorum scripta notas non obscuras & scintillas præferunt clari illius ignis. Itaque vt in prælio, non gladiis solùm & grauioribus telis res geritur, sed etiam funditorum quædam opera & leuis armaturæ est: sic in hac nostrâ contra vitia & adfectus militiâ, non solùm illo penetrante Verbi mucrone, sed etiam philosophorum hastis & sagittis aptè interdum & vtiliter pugnabimus. Sed digredior. & tu fortasse aliquid de repub. item nostrâ exspectas, vt remunerer te hâc quoque parte. Sed quid scribam? lenta hîc omnia, non læta: & videntur res nostræ velut in vado quodam adhærescere. idque eo tempore, cùm velis & remis festinandum sit. Nam qui in

 nos pu-

nos pugnant, quos progressus cottidiè faciant, vides. Remedium hic mutatâ reipub. formâ & ab vno capite quaeritur. vtinam vtiliter! Sed vix spero. ita multi palàm, plures diffident occultè. A labe eâ quae Flandriam corrupit, immunis nostra Batauia non est: & hic quoque varia iudicia & discidia animorum. Ita vereor ne rebus nostris fractis & labentibus extremum malorum (*vt Tacitus noster ait*) discordia quoque accedat. *Quod si fit, conclamatum est: & exsequias Belgicae, quibus commodum est, ite. Sed haec sunt illa, aduersus quae Constantia nos munit: & in cuius praesidio ego quidem acquiesco. De falso Cicerone illo, gaudeo tibi probari iudicium nostrum. Illud miror, Italos fuisse tam obesae naris: à quibus, si deo placet, aureus ille partus. De Boulenio & Panhuisio, faciam sedulò: & si quid aliud erit, in quo gratum facere tibi tuique similibus possim. Salue. & per te Iohannes Viuianus vir planè bonus & poëta. Lugd. Batau.* XIV. *Kalend. Ianuar.* ∞. IↃ. LXXXIII.

EPIST. C. Antuerpiam.

PETRO EGMONDO S. D.

GRATVLATIONEM *exspectas? increpabo. Tûne Româ recens redieris, & tribus verbis ad Lipsium? idque post biennium, & illo ipso biennio per silentium elapso? Certè tuum. non enim ego etiam silens, qui ad te crebrò, ad Bensium etiam, & ad Wincelium dedi. At nunc, tanquàm in oculis mihi & ore assiduus, ita languidè scribis & quasi inops rerum. Quin si de te nihil & itinerum euentu: saltem de manu illâ nostrâ aliquid litteratorum? quid Ful-*

quid Fuluius, quid Muretus, quid meus Bensius assistent; & illi velut patres litterarum ac Senatores? quid iunior alia soboles, qui succrescunt? Non enim effœtam nunc ingeniorum Italiam censeo, illam nutricem eorum olim & parentem. Hæc peccasti. &, vt spem imò viam veniæ ostendam, purga. Quod fiet vnâ re, si priores illas litterulas delebis & obrues grandi aliquâ epistolâ, longâ, latâ; & quò magis latâ, magis lætâ. Talibus enim alloquiis egeo nunc, ô Egmonde, in torpido hoc morbo. qui me, annum & tres ipsos menses, iam tenet; nec notus quidem adhuc planè medicis, adeò non remotus. Ardores viscerum sunt & interni æstus, haud procul ab Hypochondriacâ melancholiâ: nisi quòd mens & caput mihi sana. quæ tentari tamen & lædi per eum morbum non te, credo, fugit. Similis aliquis languor fuit, qui magnum Laurentium illum Medicem tenuit & citò abstulit, sed per imperitiam medicorum. Nam aliàs, ad mortem non ita præceps. Ego omnibus armis in eum pugno, & præcipuè auxilio Nympharum (frigida enim in potu & esu mirè iuuant:) & aliquid sanè proficio: nisi quòd ad extremum, vereor vt suppeditet me tam pertinax hic luctator. Victus enim aliquoties non vincitur, deiectus non cadit, fugiens non cedit. Antæus aliquis est:

—— ab ipso
Sumit opes animumque casu.

Et profectò Terræ illa progenies, ducet me ad terram. De me habes. nam de studiis, scilicet in languore hoc languent. Tu autem quid? Grudió(ne cogitas, & illic honorem? Faueo, & voueo. illud miror, in eâdem togâ candidâ tecum conspici tam nigros. Etiámne ille, ab Lutetiâ huc adspirat? O frontem, frontem! Nec tamen illum nimis culpo (perseuerat

uerat enim esse quod fuit:) magis illos, qui flectunt & inclinant se ad tales. O vrbs mihi olim amata & culta, misereor. tenebræ & infamia tibi, per tam obscuros, tam infames. Tu autem, si me audis, obdura & fortiter age: peruinces, si inter suffragatores aut arbitros, vlli erunt mediocriter boni. De migratione nostrâ: amicè tu, nescio an ex famâ meâ, aut ex vsu. Inter hirundines istas ego? æstates aliquot otij & pacis hîc egimus: vis mutem ad ingruentem primam nimborum hiemem? non decorè, fortasse nec prudenter. Perpetuum enim serenum in illâ parte quis mihi spondet? Obscura, mi Egmonde, hæc talia: in quibus vetus illud Tiberianum iure nobis placeat, vt consilia, quibus impares sumus, fato permittamus. *Homo hîc quid videat? desipit maximè, qui sapit maximè. & solus ille æternus æthereusque oculus est, qui hos euentus cernit, & dirigit sæpe præter omnium mentem. Illi ego hæc & me permitto, & clamo ex animo hoc vetus:*

* Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη.

* *Tu Iupiter me ducito, & Fatalitas.*

Tu mi Egmonde vale, & Clarissimum Iurisconsultum & Antecessorem Iohannem Wamesium, si occasio tibi, à me saluta. virum prudentem, doctum, & (quod expertus sum) in virtutem & litteras valdè pronum. Idem cupio & censeo de Antecessore Philippo Suerio.

FINIS.

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM CENTVRIA SECVNDA:

Nunc primùm edita.



LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciſcum Raphelengium.
cIↄ. Iↄ. XC.

Ad Illuſtrem virum

THOMAM BVRG BARONEM, ET BRIELANVM PRÆFECTVM.

ALTERAM Centuriam epiſtolarum nunc emittimus, Vir illuſtris, & nomini tuo meritiſſimò eam dedicamus. Si amor aut beneficia huc me vocant: ille in me magnus, & hæc crebra. ſi dignitas aut virtus: vtraque ornatus es inter gentis tuæ primos. Genus tibi nobiliſſimum, & antiquâ ſtirpe decôrum: magnitudo animi & prudentia eximiæ, & cuius vtriuſque ſpecimen dediſti in his Belgicis quoque turbis. Ad arma quóties te hoſtis aut occaſio duxit, tu ma-

nu ſtrenuus, conſilio prouidus: & quies cùm fuit, Præfectura tua te habuit cum ciuium militumque veneratione pariter & amore. Quinetiam in illâ nocte temporum, cùm homines quidàm maioris animi quàm conſilij hæc noſtra turbarent, & vno velut filo appenderent publicam ſalutem: ea moderatio & prudentia tua fuit, vt in mediis flammis flamma te non tangeret, & pænè vnus firmus quietusque ſtares in communi illo motu. Magna iſta ſunt: & maiora futura, ſi maior aliquis aut latior virtuti tuæ campus. Quod voueo: & te, Vir illuſtris, rogo, vti inſcriptionem hanc accipias velut animi cultuſque mei in te pignus. Vtriuſque quidem eximij exiguum: ſed quid faciam? vt Vlyſſes ille apud Alcinoum nihil habet quod rependat pro ingentibus meritis, præter vota & grates: ita ego,

quem cetera destituunt præter munera hæc mentis. Quæ tamen vobis magnis quoque sæpe magna. & meritò: quoniam fama & æternitas ab istis. &, vt ait Pindarus,

* ῥῆμα δ᾽ ἐργμάτων χρονιώ-
τερον βιοτεύει,
ὅ, τι κε σὺν χαρίτων τύχᾳ
Γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας.

* *Sermo factis diutius viuit, quem cum Gratiis volentibus lingua extulerit è profundâ mente.*

Vale. III. Idus April. ∞. Iↄ. XC.

AD LECTOREM.

HABE etiam hanc CENTVRIAM *Lector, sed puram, simplicem, & sine mixtione. In priore illa alienas aliquot inseruimus: nunc displicet, & detraxi. Non ergo digna illa edi? digna, sed non a me: & mali exempli, arbitrium hoc sibi sumere in scripta aliena. Mihi fieri nolim: & tamen faciunt. atque ecce edunt alibi hanc aut illam epistolam, me non ignaro solum sed inuito. Quae haec temeritas, sive improbitas, est? Clamo & testor apud homines qui sunt, qui erunt, Inimicus mihi quisquis hoc facit.*

QVICVMQVE QVODCVMQVE MEVM, PRÆTER ME, DIVVLGAT AVT DIVVLGABIT, PRÆSES LITTERARVM ET FAMÆ DEVS VINDICATO.

Homo imperite & φρένας ἠλεέ. verba aliquot

quot apud te familiaria, aut libera, aut blanda effudi: sed apud te: & in lucem tu hæc calidè effers? Quid hoc est aliud (*vtar disertissimi viri verbis*) quàm tollere è vitâ vitæ societatem? tollere amicorum colloquia absentium? Quàm multa ioca solent esse in Epistolis, quæ prolata si sint, inepta esse videantur! quàm multa seria, neque tamen vllo modo diuulganda! *Abi igitur inhumane, inepte: nec sic me produce, imò traduce. En, cùm cautè omnia & circumspectè scripsimus (vt hoc auum est) non effugimus morsum: tu subitaria mea prodis, id est, latus pectúsque meum nudum obiicis ad omnem ictum? Abstine. & tu Lector, mea ama, sed mea.*

INDEX
EPISTOLARVM
CENTVRIÆ II.

†† Iosepho

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM CENTVRIA II.

EPIST. I.

HADRIANO TVRNEBO HADRIANI F.

MERVM *mel, non epistolam, à te, Clarissime Turnebe, accepi. Tu mihi gratias? ego tibi, qui tam gratè & benignè interpretaris officium, quod sine scelere non omisissem. Qui vir diuinus ille parens tuus fuerit, nôrunt & fatentur omnes, quos stupor non præpedit, aut liuor. Ego à puero, velut astro quopiam inclinante, iui in amorem illius & laudem: nec vir mutaui affectum, sed auxi. Nonnemo inuidet? esto. ille viuet in summâ æternâque gloriâ, quamdiu res Græcæ aut Romanæ. Nec plura hîc de illo: de te, germanissime Turnebe, sic habe. non ambire me amicitias, naturâ & iudicio propensum ad tenebras & quietem: sed triumphare in tuâ, quem iure amo purum aurum ab illo auro. Plura libet, non licet. testis mihi iste Hier. Groslotius vestrâs, insignis iuuenis, qui iamnunc mihi adest, & abit. At nobis haut sæpe opportunitas mittendi, scribendi tamen semper voluntas. quod*

crebrò & magis seriò faciam, ita amor hic inter nos perennet, quem coimus auspice & teste immortali tuo patre. Postrid. Id. Mart.

EPIST. II.

VICTORI GISELINO.

INVITI à vobis abiimus, inuiti. *Quid vis amplius? apud amicum hoc satis est: ceterùm, calceum hunc vide, nemo vestrum scit vbi me premat. Apuleium tuum scriptum conferre cœpi: quædam in eo valdè bona. Venationes etiam nostras attigimus, sed frigidè imò contemptim. A peregrinatione enim hac supinus & aliarum cogitationum, vagè adhuc in studiis erro. nec facilè insistam lineæ, nisi recreatus aduentu vestro: qui, per omnes deos, ne me fallat.* Hoc communiter rogamus, Dousa, Hautenus, ego. *Varias Lectiones ···· legi, editas in Galliâ nuper. placet ingenium adolescentis, placet aliquot locis nostri imitatio, si non furtum. Idem in libello ····. Quid dicam? discipulos habeo, & breui faciam sectam. Sed vt ait Pindarus,*

* τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν.

* Optimum omne quod à naturâ est.

Sanè si quid in oratione nostrâ aut stilo probandum: totum à naturâ est, vix à curâ. Rationem meam scribendi scire vis? fundo, non scribo. nec id nisi in calore & interno quodam impetu, haud aliter quàm poëtæ. Siquid operosius paramus; rem meditamur, dispomimus. verba facilè succedunt ac pæne præcedunt meam mentem. Istos rideo, qui etiam epistolas, si dis placet; lentè & velut ad numerum, componunt. Verba examinant, circumspiciunt, traiiciunt: & miselli cùm omnia fecerint, vmbras putes non homines loqui. Ita

qui. Ita tenuis tota scriptio, sine sanguine, colore, carne. Sed diffundor. peccatum meum sollemne, cùm ad te scribo. Nunc emendo, & sileo; & te valere iubeo, ac venire. Ni facis, Amor Giselini res tuas tibi habeto. Lugduni Batauor. XV. *Kal. Iunij.* ∞. IƆ. LXXXI.

EPIST. III. Lutetiam.

IAC. AVGVSTO THVANO AMERIO.

DISTVLI *ad te scribere, V. C. dudum: præter morem meum & præter votum. Amantes redamare non ego neglegens: & tu merueras, non amore solùm quem benignè vltro attulisti, sed ingenio, sed doctrinâ, sed probitate: quæ tria in vno Carmine tuo clarè vidi. Sed amabo te, ita perpetuum Fama te amet & Virtus, ignosce: & morbum hunc nosce, qui non sinit me esse mei iuris aut moris. Verba non dedi, non misi: dedi animum, misi affectus mei sæpe auras, qui apud te & duos illos quos in extremo Carmine tuo mecum iungis. O cælestem pæne dixeram Trigam! nisi de terrâ & luto meo aliquid afferrem ego, funalis ille tertius equus. Nam iugales duo, reuerâ supra homines: & tu item auriga, qui iunxisti. Nos Epistolas dedimus nuper: & valdè haucbam exemplar tibi illisque mittere, nisi qui has feret, recusasset. Nosti per hoc bellum, nec tuta nec trita nunc viarum. Valetudo mea meliuscula: sic tamen, vt extra morbum potius videar, quàm languorem. Damus nunc & edimus* De Pronuntiatione Latinæ linguæ Dialogum, *tenue in re tenui opus, nec dignum meliori vestrâ aure. Tu ex animo à me salue: qui æternùm tuus sum. ita sim saluus.* [redacted] *Cuiacio &*

Scaligero salutem. Lugduni Batauorum. III. Id. Februar. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPIST. IV.

PETRO VILLERIO Filio.

VERE *scribis. semper tu mihi curæ, & nunc es. ita ingenium tuum & mores, & pater etiam, merentur. Vtinam aliquâ curâ meâ te curem, & à morbo isto releuem, qui pertinaciter vrget! Quid facias? feres. certus ad salutem tuam hæc dirigi, etsi non ad voluntatem. Si vulgi more loquerer; querelas miscerem, & dolorem meum ostenderem in casu, quo hæc ætas tua & tu indigni. Non faciam. fortiorem esse te & me volo: nec te cupere solatia ex alienâ sympathiâ, nec me promere dolorem, etsi doleam. Nam hoc non nego. si deo visum esset, alium te malim. cùm non visum, quod ipse vult, nolens, (vt sic dicam) volo. Hoc de te scribo. in me nónne idem? languor hic biennalis me tenet, & abiicit in validissimâ hac æui parte. Annum enim trigesimum-nonum vix attigi. quid tamen angar, aut opponam? facit ille, qui me fecit. Nónne in figuli manu est, effingere leui rotâ vasculum, & idem frangere? Et hoc melius, quòd figulus noster nos non frangit, sed refingit; & è miseris beatos, ex inferis superos reddit. Sed hæc talia aut tu tibi sæpe, aut omnium optimè pater dicet. De iuris studio, quid nunc cogites? profectò solitudinem id non amat, cui forum semper propositum & turba. Ad Philosophiam magis te nunc ducam, quæ non delectet solùm in hoc tædio, sed firmet. Eloquentia etiam & stilus rus tuum non spreuerint; in quibus si tempus hoc ponis (donec melior tibi valetudo)*

letudo) id non perdis. Scripsimus De Pronunciatione, leui manu, vt in re leui. en habes, vide, & à me salue, qui ex animo tibi cupio. Lugduni Batauorum Kalend. April. ∞. IↃ. LXXXVI.

EPIST. V.

IACOBO CORBINELLO.

LITERAS *ad me mittis non adfectus solùm plenas, (leue id verbum sit) sed amoris. Benignè ad amicitiam prouocas, laudes adiungis: è quibus has vix agnosco, illam appeto pari tecum voto. Gentem vestram amaui semper: & ex eâ illos maximè, qui vetere illâ Italiâ digni. Qualem te esse, mi Corbinelle, non solùm ex igniculis litterarum tuarum, quos sparsos colligo, video: sed etiam ex testimonio viri magni P. Victorij, qui de indole tuâ ad virtutem magna prædicat, nec vana. Atque vtinam pessima hæc tempora concedant nobis liberum eundi redeundi iter! profectò viderem vos, (lumina illa Galliæ etiam includo:) & nectar illud sermonum vestrorum haurirem auidâ aure. Sed nos iactamur: nec Æolo etiam vos, vt video, liitastis. Venti vbique & tempestates: quæ, mirum, nisi hoc anno euertant, certè conuertant, hanc Europam. Fratris tui* μεγαλοψύχου *historiam & tristem exitum legi. quid miremur? hodie illæ viæ, & nil nisi* σκολιὸν *videmus à plerisque his dynastis. O Italia, Italia illa prisca, vbi es? At tu, vir nobilissime, solare te cum aliis rationibus, quas litteræ & sapientia tibi suppeditant, tum maximè communi eo Fato quod iniquum hîc semper in bonos. Exempla tibi prompta scio. tu scito & hunc animum: quem iamnunc seriò deuoueo in tui amorem. Lugd. Bat.* ∞. IↃ. LXXXVI.

EPIST. VI. Vltraiectum.

LAMBERTO VANDER-BVRCH, Decano.

AMO *iure tuas litteras, amoris & prudentiæ simul plenas. Amorem enim interpretor, meas laudes: quas adfectus tibi magis certè, quàm iudicium dictat. Quid enim sumus? conari me magis scio quàm efficere, velle quàm posse in publicum prodesse. Quidquid tamen id est (& esse aliquid vobis tam fidis amicis credo) gratum mihi, quod gratiæ saltem locum parit apud tales viros. At prudentia tua, in iis mihi clara, quæ de publicâ istâ re scribis. quæ sanè confusa, turbida, & vtinam non vicina ad occasum. Quis bonus non queritur de eâ tecum? sed hoc vnum relictum est, quoniam mederi non in nostrâ manu. Imò fortasse nec humanâ. Deus ille est, qui publicas has clades immittit, qui alit, fouet; & tum finiet, cùm nos earum caussas. Eæ autem peccata sunt. quæ adeò apud nos non desinunt aut minuunt, vt augeri mihi & adcumulari videantur vnà cum pœnis. Iritamus cotidie magnum illud numen, & quasi puniendi iustæ caussæ non sint, damus nouas. Quando luxus, fastus, libido maior, impunitior? & religio passim nunc in ore, improbitas in corde. Verba pietatem sonant, facta ambitionem, auaritiam: nec in vno altero've, sed apud plerumq. ordinem, ætatem, sexum. Itaq. de pace aut tranquillitate, nihil ego spero.* ——bella horrida, bella *exspecto: aut certè tyrannidem non optabiliorem quouis bello. Illi ad quos Victoria inclinare se videtur, irati veniunt: & si qui moderari volent, nescio an audientur. In omni bello cruda post victoriam principia: magis in ciuili, vbi odia*

ubi odia & acerrimæ factiones. Sed Deus videbit. cui, quod ad me, curas has ex animo relinquo. Sicut & illam de valetudine meâ: quam non ego quidem, Vir amicissime, neglego, nec mortem vltrò appeto: sed cùm feci quæ humanitus possum, securus exspecto euentum. Hoc curo, *vt vitam meam corrigam, vt deo meo placeam, vt sedem ab his nimbis quietam in superâ illâ arce possideam: vnde adspiciam humana hæc omnia, & contemnam. Interea tamen nec studia prorsus omitto, nec ea omnia per quæ publicè aut priuatim humano generi videor posse prodesse. Ostendent id breui quædam etiam scripta nostra, quæ iterum paramus. De Floro tuo manuss. quem offers, valdè gratum. multa sanè reperio, non animaduersa Vineto aut Stadio ante me censoribus: & reperiam plura, scio, si auxilium mihi tui libri. Itaque si eum quamprimum ad me miseris, beneficio adficies me & posteros. nec id celabo. Vale, & fratrem tuum Graphiarium amanter à me saluta, cum gratiarum actione pro munusculo nuper ad me misso. Lugd. Bat.* XVII. *Kal. Febr.* ∞. IↃ. XXCVI.

EPIST. VII. Antuerpiam.

FRANCISCO RAPHELENGIO Filio.

TVAS *reuersus vidi libens: non etiam ea, quæ in ipsis. Languorem præferunt, & nauseam in rebus omnibus seriis & honestis. Vidi, mi Francisce, iam olim insitum tibi hoc vitium: quod ratione & curâ, quæso te, vince. Iaces, nisi facis. Quid hominis tam proprium, quàm erigi & spectare alta? Alta dico, id est, quæ ad æthe-ream illam partem pertinent, cælitùs immissam nobis mentem. Hæc*

tem. Hæc colenda. nec potest sine meditatione, sine actione: neque ista, sine labore. Hunc igitur vsurpa: quicquid reclamet fastidiens illud tædium, haud longè à veterno. Tu deo, tu auo, tu mihi, curæ & cordi es: nec te deseremus, si non te ipse. Doctoris illius noui diem quòd obieris, benè factum: quòd eum versu celebraueris, nec malè. Sapientiæ pars est leuiter desipere, & paullum extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum. Vidésne vt nautæ vela sinuent & obliquent: & teneant nihilominus suum portum? imitare. Pietas tibi interna & vera sit proposita, Modestia & Virtus: in externis, personam interdum sume aut pone, pro re aut pro æuo. Studia tua calere velim (ætas ista hoc postulat) & videbimus quid in rem tuam maximè sit vnà cum auo. Surge tantùm, & confide. Ineptias God...... vidimus, & risimus. quis comprimet Criticorum hunc luxum? Satyra mea frenos non dedit: opus lege aliâ aut rege. Vale. Ex vrbe, in quâ tu olim, XVI. *Kal. Decemb.* ∞. IↃ. LXXXVI.

EPIST. IIX.

HENRICO WILTIO IC.

CANTERVS *apud me erat, cùm tuas accepi. dicam gratas? gratissimas, ita me Deus amet, vel hoc nomine quòd à sex mensibus primas & solas. Et tu de me quereris? bellè. at ego pluries scripsisse me scio (vide an deceat) quàm te respondisse. Excusabis non redditas. credo: feramus igitur inter nos & excusemus, non tam culpam communem, quàm temporum sortem. Valetudo tua & studia prospera, mihi gaudio. perseuera. Nónne apud illum virum es, qui*

es, qui sæculi decus? vide ne frustrà. frequenta, audi, disce. Pollio meus honore ab illo auctus: quòd ab illo, iure ante honorem ipsum censeat. Scripsi ad eum, & quàm grata mihi Dedicatio illa, ostendi. Vos, quæso, inter vos concorditer & amicè viuite: quia Belgæ, quia ex meâ domo, quia sacrorum eorundem & studiorum. Senectus mea, si ad eam pertingo, solatium sibi spondet in vobis. Sed quando videbo? quando reditis? mihi placet non porrò vos currere, in Germaniam flectere, illinc lares. Iuno Iuga vos exspectat, & Quies. Etsi patria hæc etiamnunc turbulenta. Sed si non ante peregrinandi vobis finis, quàm hîc quies, quis finis? Tua ad Nonium grata, proba. Sed litteras vrge, & sapientiæ studium ne omitte: ad quam metam dirigi velim omnia tua. Infelix semper erro, si ab illâ aberras. Vt nauis quæ inter fluctus sine clauo iactatur, sic mens quæ in hac vitâ sine sapientiæ gubernaclo. Mores illi plebeij, stolidi, vani, ne te inficiant caue. Alphæus mare Siculum subterlabi dicitur, sine mixtione vndarum, ad suam Arethusam: tu per leuitates, per vanitates, ad amatam illam Diuam. Vidisse ea vtile, non se inseruisse: transisse, non miscuisse. Edidimus nuper Centuriam Epistolarum. magni illius viri mihi illic mentio, & sæpius fuisset nisi impedisset ille vir quem hîc nosti. Scenæ seruiendum est, quamdiu ego in hoc Theatro. Sed verum meum sensum breui aperiam magis & diffundam. Nec vos quidem omisi, te & meum Pollionem, vt videbitis, aut potius iam vidistis. Nam libri, credo, allati. Etiam nunc edidi de pronunciatione Latinæ Linguæ Dialogum, mihi probum. Tu salue, & redi si parenti tuo ita visum. De Italiâ, non tibi, non Pollioni nostro nunc ego auctor. ponite vana cogitationum. XVI. Kalend. Maias. ∞. IↃ. LXXXVI.

EPIST. IX.

IANO LERNVTIO S. dico.

ITA *perpetuus inter nos amor sit, mi Lernuti, vt cum aculeo discessi à vobis. Cursim, inquies. Quid facerem? aliud animus, aliud res suadebat. Vitam meam nosti, & scænam cui seruimus. Si vnquam aliquid verè scripsi, hoc est. quasi anima à corpore, auulsus sum à vobis. Fuge aliud suspicari in me: quem, culpa tua est, si nondum nosti. Nam apud amicos nihil me vno simplicius: apud alios sanè sim quod Vlysses. Nonne & aulam, & Etruriam ego vidi? sed iis non vtor apud simplices & candidas istas mentes. De colligendis & digerendis poëtarum nostrorum versibus, ego verò tibi iterum auctor. Famam tuam cum alienâ auctum ibis (quanti enim est, putas, illa recti iudicij gloria? apud me, super ingenij aut doctrinæ.) decus item Germaniæ & nostræ Galliæ. quarum interest, non omnia ingenia intra Alpes clausa videri. Non exemplum nuperum illius vidisti, qui Italos poëtas digessit? sed vellem eius, imò ipsorum caussâ, magis cum dilectu. Inter nostros Lotichium amo: Ianum Pannonium æstimo: Scaligerum patrem admiror. qui si felix illud ingenium & inuentionum inuidendum acumen curâ temperasset & limâ, coronari contra omnes poëtas posset ab illo ipso æuo prisco. Hac, nisi fallor, deficitur. nec in edendis quidem eius adhibitum, quod debuit, discrimen. Eò suaserim, illius & aliorum optima quæque ab optimo iudice seligi. & tu is eris. Reliqua in sermonem reiicio, qui inter nos proximo mense. Ita enim scribo, ita impero. Venies inquam ad hunc Iunium: &*

iamnunc

iamnunc aures claudo ad omnem excusationem. Extra iocum, Lernuti, in hac breui fugacique vitâ fruamur hunc fructum. Ferrum nostrum in igni est. Vale. XV. *Kal. Iunij.* ∞. IↃ. LXXXI.

EPIST. X.

P. VILERIO.

SOLATIO *mihi anteà amicorum litteræ, nunc remedio: nec vlla medicina magis leuat hunc languorem, quàm alloquia hæc à vobis. A te inter primos: qui me seriò amas, quem seriò ego amo. Vultum tuum videre nuper cùm Hagæ essem, optabam. Fefellisti. contentus manu sum, quia scio quæ negotia te circumstent & implicent, atque abripiant sæpè inuitum. Ego hoc vno felix, quòd meus. Sed nimirum, vt qui semel nauim & mare ingressi, in arbitrio ventorum sunt, nec redeunt ad terram, cùm volunt: sic vos, qui in remp. Tenet illa inuitos, & cùm terram maximè spectatis, retrahit aliquis æstus. Atque vtinam tui similes teneat semper! Remiges & sentinatores plerique sunt, qui nunc ad clauum. Hinc iactatio, & ad extremum, naufragia: nisi ab alto dirigat ille Deus. Inuitatio tua in Zelandiam, grata: & puto, parebo. non illi alteri consilio, de Galliâ. Nec vero nego quæ de opportunitate, salubritate, & suauitate locorum hominumque narras: sed peregrinandi mihi nunc vna caussa, Valetudo. Eam meliorem posse fieri per acidas illas aquas medici suadent, & (vt in spem nostram proni sumus) persuadent. Tentasse quid nocuerit? eo certè animo, vt nihilò abiectior illinc redeam, quàm eam, etiamsi omnia sint contrà. Vitam hanc magnifacere*

Christiani non puto, quem manet vita illa melior: sed nec abiicere, & remedia spernere, quæ data huic fini. Gallia vestra, si deo ita visum, sanum me videat; & exosculer magnas illas animas, quas ignotas amo: imò etiam, queis ignotus amor. Nam si vsquam in Europâ, amicos mihi in eâ gente esse, hoc scio. Busbequius meus iamdiu inuitauit, differo. In grandi illâ Epistolâ tuâ, de stylo & imitatione quod monuisti, verum est. Quàm multi in iuuentute nos æmulantur! & video. quia aut à me procul illi, aut procul certè ego à recto. Nihil magis breuitate amo, sed si simplex: nihil magis breuitate odi, sed si adfectata. Quid etiam, si fucata? nam verba emendicant, & abstrusiores aliquot phrases: ad quæ, non dicam risum non teneo, vix iram. Comprimam publico aliquo scripto, & de Imitatione totâ quid mihi videatur, monebo. Nam ego vt mutem, serum est. arbuscula hæc, siue recta, siue aliter, creuit & induruit in hanc formam. Ciceronem amo. olim etiam imitatus sum: alius mihi sensus nunc viro. Asianæ dapes non ad meum gustum, Atticæ magis. De Lemouicensi: an frustrà monueris, vide. Misi enim exemplar ad filium tuum, non ad te: quia parùm dignum te argumentum. Sed tamen cùm ad filium, nónne & ad te? qui imago vera tui, imò tuipse. Sanitas tantùm ei adsit. quam Deus ille dabit, si salutare: & in eâdem te Vir amicissime seruabit. Lugd. Bat. Kal. April. ∞.IↃ. LXXXVI.

EPIST.

EPIST. XI.

HIER. GROSLOTIO LISLAEO.

TANTVM *non in procinctu iam eram iturus Vltraiectum, & inde Germaniam, cùm me litteræ tuæ inuenerunt. Dicam gratas eas? non gratior Gratiarum ipsa diua: per se, & nonnihil à clausulâ illâ, quæ de Mercero. Illéne illic? hic mallem: & iamnunc vos inuitem, nisi abeam. In reditu fiet, si viri estis; & tam vicini videbitis & libabitis saltem oram Batauiæ nostræ. Mihi valetudinis vnius caussâ susceptum hoc iter. imus enim ad acidos, qui iuxta Confluentiam, fontes. Valebo per eos fortasse, aut valere iubebo hæc omnia humana. Ad alta illa ibo, nec ibi quoque me amor vestrûm deseret, qui altè in pectore isto hæret.* ——θεοὶ δ' ἐπιμάρτυροι ἔστων. *Lugd. Batauor.* VI. *Kal. Maias.* ∞. IϽ. LXXXVI.

EPIST. XII.

ELBERTO LEONINO Geldriæ Cancellario.

PECCARE *mihi viderer, si expertem te habeam consilij, quod firmandæ valetudini meæ cepi. Iter in Germaniam institui ad acidos fontes: in quo iam sum, sed forte non nimis faustâ. Discrimen quidem adhuc nullum, sed in hoc oppidulo, circumcludor à turmis equitum, quæ in Belgium parantur. Ita differtur mihi via, imò penè aufertur: quia perit opportunissima pars anni, & hyemi sustinendæ haud planè firmum hoc corpus. Ambigo an pergam, an*

ſub tectum me dem, & reſiſtam in aliquâ maritimâ vrbe. ad vos quidem bonâ fide redibo, niſi impediat me, vt vos Iuriſconſulti loquimini, vis maior. Ego vir ampliſſime, amorem & officium omne tibi offero, ab animo non ficto: & iure debeo, quia te comperi mei amantem. Vale. Oldenburgi, Non. Octob. ∞. IↃ. LXXXVI.

EPIST. XIII.

IANO DOVSAE V. N.

OLDENBVRGI, *mi Douſa, ſum. Vbi, malùm, iſtud? inquies. Opidulum eſt in Weſtphaliâ, tertio lapide à Bremâ. Illic me tenent Equites noſtri, qui loca hæc omnia perſultant. Certè animi pendeo. Properem? cum periculo eſt, nec audet id quiſquam mercatorum. Hæream? tempus mihi labitur itineri opportunum. Quod ſi diutiùs in his locis illæ turmæ, delibero Embdam redeam, an mari Hamburgum pergam, atque iſtinc Francofurtum. O omnia moleſta in hoc tempore! ſed dij porrò iuuent, adhuc fero & reſiſto. Apud vos quo loco res ſint, ſcire velim. Nam hîc quid inquiram? In Scytharum eremiâ mihi videor, nec inter homines ſatis certò. Omnes hîc Suillij, Scrofæ, Porcij, &, vno verbo, tui Hermanni. O Batauia! ô amiculi! vos mihi in mente, & ad vos adſpiro. Fontes tamen meos prægustaſſe vellem, quod ſubuereri incipio vt fiat hac hyeme. Videbo, & ſub manu conſilium aliquod capiam, quod te non celabo. Vale, mi Douſa, & lectiſſimæ vxori tuæ ſalutem & oſculum (ita iubeo) à me ferto. In Barbariâ apud pultiphagos,* III. *Non. Octob.* ∞. IↃ. LXXXVI.

EPIST. XIV.

IANO HAUTENO S. D.

EMBDAE cùm dies aliquot quieuissem, partim recreandi mei causâ, partim quia deerant currus: iter arripui Bremam versus, sed pede parùm fausto. Oldenburgum ecce vêni (distat tertio milliari ab eâ vrbe) & vndique cingunt nos equites peditésque, qui in Belgium parantur. Manendum in nidulo illo fuit, aut incidendum in Harpaces illos, quibus nihil est sancti. Et mehercules de totâ viâ meâ hæreo. ita multa à multis pericula audio, ita multa ipse video. Omitto molestias, & tædia hospitiorum præsertim, quæ hîc plusquam Germanica. Crede mihi, amice, barbaria nulla barbaria est, præ hac Westphaliâ. Cetera Germaniæ ferè vidi. quid dicam? deliciæ illæ locorum & hominum sunt, si cum istis comparentur. Et tamen auidè anhelo ad illos fontes. Sed hiems me occupat; &, si diutiùs morantur hîc equites (pecuniam autem exspectant, nec, nisi eâ plenè numeratâ, pedem moturi dicuntur) fractum meum iter. Quod si fiet, iterùm Embdam constitui, & illîc hiemare. nec enim planè displicet is locus, & inter ignotos, libellis meis & chartis me inuoluam, sine metu interpellationum. Sed vos intereà quid? quo loco res publica, res priuata? scribe ad me quæso, & litteras Embdam destina: quia in omnem casum, illinc ad me vel in mediam Germaniam facilè perferentur. ita mandaui, & vxor te docebit. Vale mi amicissime, cum vxore tuâ & familiâ omni, quam saluto. Oldenburgi, ex barâ, quam hospitium appellant. III. ∞. IƆ. LXXXVI.

EPIST. XV.

IOHANNI HEVRNIO S. D.

EGO, *mi Heurni, quod vos medici miremini, viuo. Passus enim ea in hoc Westphalo itinere sum, quæ nemo olim Cynicus aut patientiam professus. Omnia humana mala me exagitârunt, ab aëre, ab aquis, à cibis. Venti & pluuiæ perpetuæ: cibi, non dicam barbari, sed vix humani. Valetudinem meam nosti, & quàm ea præcipuè mihi firmanda dilectu dapum. Ecce autem in hospitiis (sic appellabo: etsi reuerà stabula illa aut haræ potius) primo initu poculum aliquod obtrusum cereuisiæ olentis aut tenuis, & sæpe à recenti coctione calentis. nec recusare fas, nisi elegisses expelli. Hic gustulus erat, & ad ignem cum aurigis aliquot aut scrophipascis eadem illa potio sæpiùs iteranda, cùm solenni elegantiâ ad singulos potus porrectæ manus. Intereà mensa sternebatur, (nec dicam de mappâ. nosti.) & iam calor meus inhiabat in cibum: sed, heu, primum ferculum è larido spisso, pingui, & addo, crudo. O rem mei stomachi! quid facerem? poscere aliud nefas. Specto igitur & taceo, & buccellas aliquot panis frango. atque vtinam panis! sed reuerà, mi Heurni, si colorem, si pondus, si totam faciem vidisses: iuro tibi peierasses de pane. Ater ille, grauis, acidus, & formatus in massam quaternos aut quinos pænè pedes longam, quam ego nec eleuassem. Plinius mihi ibi in mente, qui de hac aut finitimâ gente scribit,* Miseram eam quæ terram suam vreret. *ego veriùs*, Miseram quæ terram ederet. *Sed vide alios missus. Diu exspectato, ecce tibi caput iam cænæ patina grandis, plena brassicæ confectæ. Ea*

secta. Ea iurulenta est (virulentam mihi calamus scribebat) adipe porcino ad digitum eminente ac superstante. Hanc ambrosiam non comedunt mei Westphali, sed vorant. ego quid? nauseo, & fameo. atque ad extremum paßulas aliquot è sacciperio meo haurio, quas cum pane lente gusto. Inuidiam ea res habuit & sermonem: sed ego cum hospite conuiuas iratos habere malui, quàm Hygeiam. denique & famulus meus insusurrabat iis de morbo. Extremum ferculum caseus fuit: sed ita putridus, vt difflueret. hoc ipsum tamen illi habent, vt cerebrum Iouis. In pagis ista: in opidis haut multò meliora. nisi quòd illic tamen pisces nobis plerumque appositi, ex his qui Norwegiâ adferuntur sale indurati & vento. at panis è siligine eadem. Hos tamen cibos edere iam didici, imò concoquere: &, si ad vos vnquam redeo, virum videbis siue passerem marinum potiùs, qui vorare didicerim ferrum. Hæc in mensâ. vis etiam lectum? planè electum. Lecticæ pleræque in ordinem ad vtrumque latus: iuxta eas vaccæ, equi, vituli: suprà, pulli & gallinæ: subter (testor Fidem) porci. De puluino aut linteis, oro te, noli quærere. mendicorum nostrorum tegetes longè meliores ac puriores, aut centones. Itaque per dies totos octo vestem non posui. Iam illud corollarium pulchrum: quòd duas noctes dormiui in apertâ naui siue cymbâ, in Honta flumine, sub puro Ioue: idque cælo pluuio & ventoso. Post hæc tamen omnia, viuo. Iocosa habes: quid aliud mihi libeat Natali die? Nam de morbo absit vt te consulam. malè perierit ille in malâ viâ. Tu salue. & voueo idem Holmanno, Beimæ, Bontio, collegis meis. Embdæ XVIII. Kalend. Nouembr. CIↃ. IↃ. LXXXVI.

Carmen pro Methodo tuâ habes, sed quod non dubiè olebit hanc gentem.

EPIST. XVI.

PETRO COLVIO.

APPELLO *te, mi Colui, vltrò. Libet, & vacat: illud ob amorem, hoc ob otium, quo præter votum nunc fruor. Nam hîc (in quo nidulo!) teneor Oldenburgi, inter homines semi-homines. idque vi siue metu nostrorum equitum, qui circumfusi. Nosti genus, & quàm nec Musis nec Mercurio parcant; vtique si iis bulga. Ita iter nostrum protollitur, & benè si non tollitur superuentu nigræ hiemis, quæ & ipsa adequitat. videbo, & quod deus ille dabit, feram. Salue mi Colui. Vbi dixi, Nonis Octobr.* ∞. IƆ. LXXXVI.

EPIST. XVII. Francofurtum.

EV. POLLIONI.

QVID *ais? siluisse me? erras. Nullas ego à te vidi, ad quas non sedulò responderim, & habui te, mi Euerarde, semper inter primas curas. In languore tuo doleo: & miror quid illud mali morbi, quòd vires tam validè afflixit. Sed ætas tua est, quæ facilè resurget: & siquid spirituum aut sanguinis perierit, reponet. Tu modò te cura, sed sine curâ: & quidquid Deus ille noster dabit, excipe libenti, imò & hilarâ fronte. Viuere te vult? velis. Mori? non nolis. Finis & initium nostri ab illo sunt: felices, si in illo.* Σκευάρια *quædam sumus à magno illo Figulo: quid querimur, si*

rimur, si fingit nos & refingit? Hæc tibi, & per te mihi dico: qui & ipse valdè inter imbecilles. Febris quidem nupera vix vitam mihi reliquit: & eam ipsam, præter spem omnem medicorum. Basiléam meam placuisse tibi, gaudeo: vrbem eo nomine planè dignam. In Gallijs nondum γαλήνη: & sanè doleo W[illegible]ium nostrum inuolui, nonnullâ suâ culpâ. Vt quid enim desidet & cunctatur, præter nostram & parentis mentem? Nam de abscessu in Germaniam, suasi pridem. At quod ad te nunc, mi Euerarde: ego de reditu seriò tibi auctor: siue quia pater ita poscit (scis quid illi debeas) siue quia tua valetudo. Amicus hic & familiaris aër, facilè tibi dederit nouas vires. Et quid ibi hæreas? inter bonos & doctos, scio: sed sine magno tuo vsu. Meta itineris quæ tibi fuit, eam iam attigisti: nec tu mihi Vlysses aliquis esto aut Philoctetes. Terrent te hæc ambigua? quî magis, quàm nos? Sanè infirmus hic patriæ status, fateor, & qui sine manu Dei palàm ruit: sed valdè erras, si his pereuntibus, speras illic firmitatem. Europæ libertas corruit, si semel hoc vallum. Ego hoc non suadeo solùm, sed hortor: & fac, vt in viciniore te aliquando conquiescamus. Ατεκνον esse me scis: tu, & qui alij probi è disciplinâ nostrâ, mihi τέκνα. De genere vitæ quod capias, hoc vnum dico, vt nullum. Late nunc & quiesce, donec deseuiat ciuilis hæc tempestas. Plura coram. nam me spero ex primis videbis. Prid. Kal. Mart.

EPIST. XVIII.

FRANCISCO IVNIO S. D.

N[redacted] *Iam de affectu tuo in Georgium nostrum quàm mihi suaue! Viuit enim in animo meo ille adolescens, magni ingenij, magni acuminis, & qui ad summa omnia venisset, nisi Deus ad verè summa illum euexisset. Felix, qui ereptus tot instantibus malis, & tot futuris. Nam fauillæ huius nostri incendij spargi mihi videntur, & iam ad vos ire, comprehensuræ (vtinam fallar!) Germaniam totam acri igne. Sed publica omitto. De iis quæ Epistolis ad Atticum obseruitasse te scribis, & offers mittere: valdè velim. Nunc tamen in aliis curis sum, vt videbis. Nam, cùm absoluero, mittam. In tuis ad Curopalatem de Aspro Turcarum lêgi: addas opportunè notulam è priscis Glossis,* Δηνάριον λευκόν, Asprum. *& iterum:* Ἀσπρότης, candor. *Vberiùs aliâs. nunc salue, vir magne: & tui amantem ama. Lugd. Bat.*

EPIST. XIX. Leodium.

DOMINICO LAMPSONIO.

SPERABAM & aspirabam ad vos, mi Lampsoni: sed, heu, sperabam. Consilia illa omnia euertit is, qui melius nobis, nobis it consultum. Redij, & acquiesco. nisi quòd lepidissima tua epistola saluam mihi sæpius mouet, & πτερυγίζειν iterum ad vos facit, Amoris & Venerum ita plenos. O sermones nectarei, quos promittis! ô fabulæ! ô epulæ! ô Iunonem tuam mihi non timendam, quam placem non verbulo vno sed ocello! Nullo Ioue opus ad iram eius leniendam in hunc Æneam: qui paratus est satisfacere, & altera tanta scribere aut dicere in viros. Viles mihi, & domi nascuntur tales sermones. Dic illi, saluta, dissuauia. Quid ais? satin' familiariter? non excuso, talis apud te volo esse. Noster αἰδέσιμος éstne Antuerpiæ? vbicumque, ille meus. Imaginem nostram mittam breui. quam sculpi iussimus à Goltzio, qui te amat & multum sapere in isto quoque genere ait non falsò. Amici quidam in Germaniam, & vltra, me vocant: ego delibero, & caueo nequid temerè. * ζώει δὲ μᾶσσον ὄλβος ὀπιζομένων. Quid ni circumspiciam? *Durat magis felicitas circumspectorum. vbique sunt quæ arceant, quæ alliciant: nec ad gustum humana omnia, quamdiu erimus in humanis. Contentus ergò ego meo Catone. Tamen Austelli nonnulli nos hîc turbant: sed adhuc occultè. si pergunt, & magis se aperiunt, mihi quoque ad alia consilia viam. Politica dogmata pango, selecta ex antiquis. Minus gloriæ ea scriptio habebit, scio: sed & minus inuidiæ, & fidei plusculum apud eos, quibus homines magni (vt poëta ait) Propter mille annos. Valetudo va-

letudo vacillat. sustentamus eam quantum potest, remissionibus, peregrinatiunculis, & præsertim hortuli deliciis. in quo Leges ecce meas vide. Nam inserui, vt rideas. Vale. XIII. *Kal. Iul.* ∞. IↃ. LXXXVII.

LIPSIANI HORTI LEX

IN IPSO ADITV, SVB PERSONA BIFRONTIS IANI.

B. F.

Quisquis es, STA, LEGE, PARE.
IANVS *ad hoc limen sic* EDICO.

K. I. HORTO & HERO fruendi tibi ius esto:
Sed illo ad ASPECTVM, isto ad SERMONEM.
Nisi OCVLIS, quidquid heic satum aut natum, ne LIBATO.
TIRO esto, MANVM apud te habeto.
Si effers ad TACTVM aut ad RAPTVM:
Verbo dicam, te EFFERTO.

K. II. Sed nec HERO vsquequaque FRVITOR.
Ante SEXTAM vespertinam ne ADITO:
Post SEPTIMAM ne MANETO.
Horæ aliæ, ad alias illi curas.
Heic cogitat, heic pangit:
STILVS heic est, Abi MVSCA.
Quid si & CÆNA? Abi MVSCA.

K. III. SERMONES etiam ne exlêges.

IOCARI

IOCARI licet:
NARRARE licet:
ROGARE licet:
Sed nihil SERIVM.
GRATIARVM hic locus est.

K. IV. Siquid AMOENIVS tamen in STVDIIS,
Inter AMBVLANDVM
Differe, doce, disce.
Et MVSĀRVM hic locus est.

K. V. Tu qui SERIOSVS,
Tu qui RIXOSVS,
EXESTE.
CLVSIVS ego sum vobis.

K. VI. CANIS, præter vnam, EMANETO.
HECVBA, præter vnam, EMANETO.

Habes? hoc etiam.
QVOQVÒ TE AGIS, TE VIDEO.

EPIST. XX. Hagam.

THEODORO LEEWIO.

ERGO *tamdiu te exspectamus frustrà? non hoc pollicitum, cùm nuperrimè istic essemus. Præsta age fidem, imò & amorem: & veni non quia promisisti solùm, sed quia cupis. Certè debes. quid iucundius quàm cum amicis versari, diu non visis, aut vix visis? Nam aspicere & non alloqui, nec videre quidem est: si non fallit ille Sapiens,* Loquere vt te videam. *Verborum satis habes, si vir bo-*

vir bonus es qui soles: sin degenerasti, nec preces quidem te adducent. Quibus abstineo, quia amicis summum precandi genus est, Velle. Ego te die Dominicâ exspecto vesperè in cænâ, cum Dousâ & Hauteno. Hæc, vt iuris prisci verbis vtar, summa dies esto. Vale & ambula, aut vehere potiùs. postrid. Kal. nouas ∞. IƆ. LXXXVII.

EPIST. XXI. Biturigas.

I. CVIACIO Ic.

D*IV silui, sed inuitus. Bella hoc faciunt; quæ viam nobis omnem intercludunt, penè & vitam. Ego Germaniam meditabar nuper, & tentaui, sed non volente Euentu. Nunc huic epistolæ spem fecit ad transitum Hier. Groslotius, egregius adolescens, & quod inter laudes eius pono, tui amans. ideò amatus & mihi. Vtinam ipsi mihi os illud intueri coràm aliquando fas: quod vnum miror hodie* ([redacted]) *in Europâ. Vidi nuper Iuonis in misellum Titium. Periit infelicissimus hominum,* [redacted] *ab illâ manu: tuâne an Scaligeri, an vtriusque? Nam præter* te [redacted], *fallor, aut nemo sic scribat. Excitastis sanè quosdam, imò non excitastis: quia, certum habeo, immorientur ambitioso illi veterno.* Admonere possum, *aiebat ille olim ad Galbam,* corrigere non possum: *hoc hìc valet. Elogium tuum quo me consecrasti, legi. & ab amore amplector, à iudicio & admiratione (nam & eâ voce vteris) qui ausim? Debeo tibi, Cuiaci, debeo: & falsa in me dicto,* Beneficia tam diu grata esse donec videantur posse exsolui. *Ego non possum, & quia non possum, vt insani illi amantes, hoc*

magis

magis volo. Thuanum amo. vbi is est? Scaligerum depereo. quid agit? quid non agit? vtrumuis enim potest & debet: illud ex voto nostro, hoc pro æuo. Politica nescio quæ ego molior, non à me, sed à priscis. illorum gnomas filo quodam verborum meorum necto, &, irriso olim verbo, ferrumino. Vellem quædam de Iunonis filio, qui apud nos: sed differo, ne differar. Ventura enim hæc ad te quis spondet? Vale vir maxime. Lugd. Bat. postrid. id. Mart. ∞. IƆ. LXXXVII.

EPIST. XXII.

IANO LERNVTIO.

IMBVISTI *me liquore litterarum tuarum suauiter, aridum & iamdiu earum sitientem. Reuixi. Te tuosque viuere & valere gaudeo: ego quoque vtrumque. etsi istud mediocriter. Animus me sustentat, & concepta opinio non fore perpes discidium hoc nostrum. Nónne ab Albione spem faciunt albæ deæ? hîc narrant. Politica etiamnunc me tenent, nescio an cœptum opus bonâ aui, certè lentâ. Pennas suas non habet. quin vellico & carpo eas vndique ex alieno scriptorum corpore: eoque res tardior. Quale futurum opus sit, nec ipse adhuc scio: & tamen auguror, melius quàm laudatius: id est, maioris rei, quàm famæ. sed vos iudicabitis. In Senecam poëtam haud pauca notaui: quem legi his diebus, & nimis me cepit. vtique Medea & Thebais: quas supra omnes alias esse, nec eiusdem vatis, mihi certum. Tu quid censes? quid iuuas? nam aut ipsum dare molior, aut ad eum Notas. Idem de Liuio. in quo nimia nobis bona. Senecam propriè meum, id est Philosophum,*

præripuit mihi is, cui ego olim Tacitum, vt aiebat. Quamquam non tam ille me absterret, quàm hic Lutetianus Faber, qui politè post illum dedit, & ne quid spei relinquat, pollicetur etiam Prætermissa. De rebus Amici apud Amicum, securus esto: excipio Fatum aut Vim. Victoriolo nostro iámne melius? spero. causâ duplici: quia & sedes ei pinguior, & in Autumno iam messis. Reuirescite, me amate, planè planè tuum, & tuum. Proprid. Kalend. Septemb. ∞. IↃ. LXXXVII.

EPIST. XXIII.

ÆMILIO ROSENDALIO.

VIX *legi tuas, & respondi. Quid ais, aut quid censes? illusisse me? Non is sum, nec qui amo verba, vt ille ait, blandicella. Strictim laudaui te, sed ex animi mei sensu. nec hîc vela te aut excusa. Diis gratia, ego is sum & eò veni, vt saltim iudicare possim de meliore & elegantiore ingenij venâ. Nec tamen feci aut facio, vt te attollam: quin contrà, promouisse te cense, non peruenisse. Modestia est, mi Rosendali, & pudor iste ipse quem in te amo, quæ sistere te debent in candidâ illâ Virtutis & Sapientiæ calce. Si ista deserunt, non velis vllis peruenies aut ventis. Pestem hanc video in plerâque iuuentute nostrâ hodie, quæ simul sapere cœpit, iam sapit: & vix limen libauit arcanæ huius domus, putat penetrasse. Tu caue, quod facis: & sponsorem me cape felicissimæ tuæ viæ, quem anteà in parte ductorem. Seriæ quidem beniuolentiæ meæ hoc symbolum habe. quòd tardè ad plerasque litteras & vix respondeo; libenter & auidè ad vestrûm talium, qui à nobis semel inducti in*

ducti in Viam hanc rectam, calcatis eam constanter pede recto. Pergite, crescite, viuite, in vestrum & patriæ bonum. Fratri vota eadem reddo, quæ mihi. Leidæ, in hortulo meo, quem cùm voles, vide, propríd. Kal. Iul. ∞. IƆ. LXXXVII.

EPIST. XXIV.

HADRIANO SARAVIAE.

CERTE *mihi iucundum fuit litteras tuas, & in iis te, regustare ex interuallo. Tamdiu cur siluisti? Scire debes me tui & fuisse & esse, ex quo semel te noui, peramantem. Collegæ fuimus, iuncti sermonibus sæpe & consiliis: & vt illa nunc non sint (Deo visum aliter) manebimus tamen iuncti animo, optimâ illâ parte nostri. Diffident quidam à te, qui mihi assident? nihil ad rem. Amare, & iudicare, ego possum: nec probo sanè omnia, quæ fero. Naturâ mitis & lenis sum, vt nosti: nec facilè me oppono, præsertim sine spe vllâ profectus. Me & mea, quantum possum, compono & curo: publica fateor me numquam tangere, nisi inuitum. Perpetuum hoc mihi iudicium est, nec facilè vlla Suada aut Sophia eripient mihi hunc errorem. Stoïcos illos, quos sæpe miror, scio hac in parte esse alios: qui in rem eunt; &, vt poëta ait, ciuilibus vndis se mersant. sed mihi ingenium meum dictat aliud, & inprimis valetudo: quorum neutrum suadet mihi trahere hoc iugum. Itaque priuatim amicus esse didici, & fidus amicus: iuuare patriam aut rempublicam, animo & voto possum; vix consilio aut facto. Quòd me in ea loca inuitas: vellem, sed valetudo nunc quidem arcet. Videbo quid hæc æstas feret: animus quidem*

iamdiu auet videre pulcherrimam & maximam insularum. Vale. X. *Kal. April.* ∞. IƆ. LXXXVIII.

EPIST. XXV.

IOSEPHO SCALIGERO.

ADOLESCENS *hic cùm ad te iret, mi Scaliger, nefas putaui vt sine meis litteris. Vtinam ego cum illo! sed* ἀνεμώλιον *hoc votum: ita Gallia vestra, & nostra item, turbat. Quis prudens pedem nunc domo? & tamen ardet mihi animus amplecti te ante fatalem illum diem. Si vlla quietis aura adspirat, certus esto, nos ad te rectà. Iamdiu ne publicè quidem nos alloqueris. quid tibi factum? Per deum nosce te, & sperne hoc auum* [redacted] *Ad Senecam Tragicum aliquid meditatus sum. habes. nisi ferre grauabitur hic ipse, qui olim ait fuisse tuus: & vt nunc per me sit, rogo. Vale Lugd. Bat.* XI. *Kal. Maij.* ∞. IƆ. LXXXIIX.

EPIST. XXVI.

P. REGEMORTERO S. D.

EPISTOLAE *ego tuæ* προθύστερον *respondebo, & quæstiunculam libabo quam proponis, sed breuiter & cum Homero* ἐπιτροχάδην. *Quid enim hîc vela pandam? hoc ipsum timidè, quòd pedem omnino pono in hanc cymbam. Quæris, an sapienti fas aut ius consciscere sibi mortem? Olim*

tem? Olim id disputatum: nunc decisum. & scis quid hac in re statuant religionis nostræ leges, quas improbè sollicitemus. Tamen vis aliquid pro veterum mente? distinctè & breuiter. Stoicis adhæream; quibus αὐτοχειρία placuit, sed non ἀορίστως aut semper. Cùm necessitas suprema ingruit, puta à tyranno aut aliâ vi violentâ, nec mori tibi fas decorè aut honestè: putant arbitrij nostri esse vitam nostram. Pauculos dies aut horas quidni præueniam, non metu aut ignauiâ, sed honesto illo fine? non, inquam, vt euadam, sed vt aliâ viâ vadam. Quid si morbus etiam vrgeat difficilis, pertinax, & sine spe medicorum? videatur haud improbum, non diu iactari in hoc mari, & transire compendio ad portum. Idem in acerbitate temporum, & cùm omnia miseriarum plena, sine spe alleuationis. Atqui durare melius est, inquiunt alij: & hoc viri fortis. Non negamus, vbicumq. breue aliquod malum est, & quod habere possit medicinam: vbi aliter, ô ignauiam mori toties & non mori! Rebus secundis seruare *nos poëta iubet: sed non per aduersa aduersis. Vt in domo conducticiâ si habitem, nihil peccem si paullùm exeam ante diem pensionis: ita hîc videtur. sed videtur: & nihil definio (absit, absit) præter definita piis sapientibúsque viris. In Thraseâ nostro locum hunc magnificè tractauimus, & vt viro illo dignum. quem tamen premimus, quia nimis nos premant iudicia aut voces calumniosi æui. An iamnunc non pecco, quòd hæc ἀποφώλια βάζω? sed apud te vnum, & ex lege dictâ. Scribis ampliùs de Galliæ rebus: quæ herculès incertæ, & nescio an id quoque regnum venerit ad fatalem metam. Nos quieti per illas turbas: nec præter votum etiam mors illius Albionij, quem putant parùm in nos fuisse æquum. Adolescens*

quem mihi commendas, ita erit: & ex vultu ac moribus iudico mereri. Vale. Lugd. Bat. IX. *Kal. Febr.*

EPIST. XXVII.

DOMINICO BAVDIO.

DOLOREM *tuum quòd apud me effundis, gratum: certè apud amicum, & de amico. Collegæ illi meo non ego volo, & semper volui? ex animo. nec moror quid maligni suspicentur aut effutiant pro suo more. Deus, ego, res mihi testes: & tempus quædam aperiet quæ nunc latent. Eò dico, quia hac res ita gesta est, vt me celata omnia sint, & nunc adeò celentur ab iis qui nihil aliarum rerum me celarunt. Non credunt? esto. hilum non ego deterior, sed nec tristior: qui sto apud Iudicem, cui nemo mentitur. Curuæ illæ mentes sunt, quæ de me tam curua. At tu Baudi esto quod semper: id est, bonus & volens & æquus in eum, qui talis in bonos. Sed de fermunculis parum est, quos nemo par mihi vitauit, nemo maior: res magis ipsa me angit, cui vtinam à me medicina. Nec de caussâ inquiro, quam tu tangis: vulnus ipsum qui coibit tam grande, tam patens? Auctoritas alterius partis agitur, alterius honor. & scis alioqui quàm lenti cedere isti nostri. Heu multa in hoc æuo quà publicè, quà priuatim molesta! illud in primis, quòd rebus miscentur, suspicione aut voluntate vulgi, illi ipsi qui extra res omnes se proiiciunt animi quodam decreto. Talis ego, nec mentior. sed rarum tamen aliquid in hac vrbe, non solùm Scholâ, cui Lipsij nomen non insertum, verò siue falsò. Dousam nostrum ama, excusa, & inter plures scito esse vnum: aut certè ne damna (quod in hac missione maximè damna-*

me damnatur) inaudità caussà. Ego eum à diebus aliquot non vidi: & me subtraho, & manum cum Milone haud temerè insero inter hiantes has rimas, quæ (Deus ita faciat) coïbunt. nisi, quòd ea, quæ munus Recturæ & officium amici mihi imponunt, non desero, non deseram, nec cum offensâ. Salue mi Baudi. III. *Non. Maij* ∞. IↃ. LXXXVII.

EPIST. XXVIII. Viennam.

CAR. CLVSIO.

SCRIBERE *me ad te, mi Clusi, mirum est: & non ego, non alius quisquam id censuisset, ante mensem. Ipso enim natali meo* XIV. *Kal. Nouembr. acris & feruida febris me inuasit; quæ corpus per se haud validum ita duos menses penè afflixit, vt omnium iudicio iam in ipso Fati limine starem. Viuo tamen, clementis dei beneficio palàm* ——θάνατον καὶ κῆρας ἀλύξας. *Meas accepisse te gaudeo, & quæ in Senecam adiunxi. Ea nata mihi subitò, nec otium habuisse aut animum plura exemplaria conferendi, tute facilè vides. Gratum mihi quòd Excerpta tui codicis miseris, quæ inspiciam opportunè. Lapidem Ancyranum accepi. & iam antè habebam descriptum à Busbequio: sed tamen gaudeo firmari eius fidem & industriam alterius etiam descriptione. Nam tua hæc, parum aut nihil mutat ab illius. Vsui ea nobis in volumine Antiquitatum Smetij (vbi crebra tui quoque mentio) quod hîc edimus elegantibus typis, nec sine publico, vt speramus, bono. Vnde vos illud nacti? inquies. Dicam quod rideas, Prædones à prædonibus. Milites, inquam, nostri in tumultu hoc Belgico res Marci Laurini diripuerunt, inter eas, hunc Thesaurum.*

Centurio

Centurio qui habuit, in Angliam venalem detulit: emerunt illic Academiæ nostræ (cùm casu pro Legatis adessent) Curatores. Ego auctor diuulgandi, & adiutor. Auctarium enim addidi Inscriptionum aliquot, quas Smetius aut non vidit aut omisit. Vtinam tu propior nobis fuisses! nec enim dubito, quin iuuare largiter potuisses, & bonam symbolam conferre ex ære quod peregrè collegisti. At nunc serum. nam liber lucem iam spectat. Quòd desides, me cruciat: & vtinam agere ac peragere tibi fas vtilissimè cœpta! Dacia non miror si te trahit. me quoque, si deus meus pateretur, in primis delectaret ea loca lustrare, quæ trita scio vestigiis Romanis. Quot illic lapides & monumenta prisca! Lazius me docuit, qui multa adfert, nec adfert: ita exscripsit parum fidè aut curiosè. Nos etiamnunc in spe de Irene. Illa quæ Albioni præsidet, legatos missura, imò iam misisse dicitur ad Principem scuti equestris. Tu quid ais? diffidis. Ego illud cogito, Optare liceat, si potiri non licet. *Ill^ri Viro Vincentio Pinello cùm scribes, quæso te, salutem ei à me dicito, ignoto de facie, non de famâ. Amo virum, magnum merito apud omnes magnos. Idem te rogo de Hier. Mercuriali, quem Felicitas mihi dedit vt coràm etiam Romæ nossem. Vale. Postrid. Id. Ianuar.* ∞. IↃ.LXXXVIII.

EPIST. XXIX.

IOHANNI ARCERIO.

LITTERAE *tuæ honestissimi amoris indices, mi Arceri, an gratæ mihi fuerint ne quære. Gratissimæ. & in iis* ἀφελότης *illa tua & candor, quem haud minus quàm doctrinam amo. Pauci hodie tales. & pleræque, quod doleo,*

σκολιαὶ

ανόλιοι aut curuæ mentes. De morbo meo & eius grauitate nihil vanum audisti. Πανίσιμε factum (cum Plauto meo loquor) vt irem ad beatos. Sed tamen viuo, imò & dei benignitate melius cule etiam habeo quàm ante morbum. Quod autem rogas vt te quoque in cohortem meam adscribam amicorum, frustrà rogas: quia reuera iam adscripsi. Notitia mihi aliqua tecum dudum fuit, & nuper instituta etiam amicitia, idque in sacrâ mensâ: nec violabo, quamdiu me violenta illa dea non violabit. Spondeo. & arram velut pacti huius mitto syntagma nostrum ad Senecam, haud magnæ rei aut molis, in quo tamen (nisi mea me fallunt) non vulgariæ aliquot Notæ. Vale mi Arceri, & vxorem tuam à me meâque saluta. Leidæ. Kal. ipsis Ianuarij: quas salutares tibi precor & faustas. ∞.IↃ.LXXXIIX.

EPIST. XXX.

MARTINO LYDIO.

AVDIVI, *mi Lydi, ex viro amantissimo vtriusque nostrum Eilardo, de tristi casu qui te oppressit. Vxorem amisisti: id est consortem vitæ & sociam tristium lætorumque. Scio, quamuis firmus es & in rupe diuini verbi innixus, tamen quati subinde animum & vacillare in tam magno ictu. Cui vt resistas, non aliò quàm ad te, te voco mi Lydi: vt cogites quam personam sustineas, & quod munus in hac militiâ imposuerit tibi noster Imperator. Nempe diuini verbi doctor es. cui cùm proprium firmare alios, & ab hac vitâ cogitationes seiungere & auocare ad illam æternam: qui conuenit vt tu iaceas ob casum, quem fateare necessum est ex tuâ & sacrâ doctrinâ adeò non*

spernendum, etiam optandum? Mortua tua est. hoc interpretor, desiit peccare, desiit iactari, desiit misera esse. Mortua est: sed addo, in Fide. hoc interpretor, abiit ex vmbrâ hac vitæ, vt ad veram veniret: tenebras reliquit, vt ad ipsam lucem: homines, vt ad Deum. En mi amice, quàm beatè illi factum, & quàm meritò casum hunc non lugeas, sed ames, si amasti illam. Tamen homines sumus, fateor, & vrit illud Auelli. Soletur te, quod non in longum. Paucorum dierum, mensium, annorum via & vita nostra est, & fruemur beatis illis animis haud ex longo interuallo. Ista breuiter, mi Lydi, ad te volui, &, pro amore nostro mutuo, debui. Nam alia de litterulis, nunc non adiungo (ne Musicam in luctu:) hoc tantum, ita me vel valetudine vel occupatiunculis distineri, vt vix par sim emoliendis iis quæ cœpi, nedum vt ordiar noua. I. Drusium collegam & amicum meum veterem quæso amanter saluta. Quî enim scribam? auocat lator. XV. *Kal. Septembr.*

EPIST. XXXI.

ABRAHAMO MYLIO.

LITERAE *tuæ quomodo mihi non gratæ? Adfectus in iis vndique elucet: sed vereor, vt adfectus. Pro scriptis meis & pro famâ pugnas: sed rem audi, amanter magis quàm prudenter. Quid enim acri hoc amore tibi vis? probare me aut mea iis qui non probant? frustrà. & hoc est quasi cibum aliquem conciliare illis, qui abhorrent. Vt palati inclinationes quædam sunt, quas haud mutes: sic iudicij. nec in probando minùs differimus, quàm in agendo. Vt hæream in hac stili lineâ: age, quis inter veteres & inter nouos, eâ-*

nouos, eâdem ratione scripsit, aut scribit? Similes fortasse aliquos reperies, & id ægrè: nullos pares. Natura in corporibus rarò hoc commenta est, vt vel ab eâdem parente fœtus assimulent: vis tu à diuersissimis ingeniis stilum? Quod si ille variat: necessum est & iudicia. quia quisque optima assequi, aut certè sequi se, censet. A fonte ingenij interno, Myli, ista sunt: & diffusa oratio, stricta, læta, seuera, quemque delectat aut indelectat, vt quisque est talis. Hinc nationes olim totæ dissederunt de optimo genere dicendi: & nosti oratores Atticos, Asiaticos, Rhodios: quid miraris homines singulos? quid hoc æuo? cùm imperitissimus quisque, audacissimus, & iudicij hunc calculum sibi sumit quilibet è litterariâ plebe. De eloquentiâ iudicant, qui non dicam cuius coloris illa sit nesciunt, sed vix Latinæ linguæ. Itaque Myli non tu, non ego, his sermonibus moueamur: & de Apellæis istis lineis Protogenes aliquis iudicet, non qui auersi ab hac arte aut Musâ. At Critica nostra non effugiunt etiam κρίσιν. Gaudeo, & ideò scripsi. Præter naturam cuiquam hoc videatur, at non meam: qui tam libenter iudicor, quàm iudico ipse. Cur in tam libero scribendi genere non liber cuique sensus, dissensus, imò & lingua sit? Liuor modò absit & malignitas, quam odisse me, cum Homero, fateor —— ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι. Sed in eo suaues, quòd Orationes me negant scribere. Vellem dixissent, edere: agnoscerem, & caussam darem cur laudem non quæram in hac arenâ. De scriptione quis abnuet, qui vel puerum me nouit? Lactantiam omittamus, sed audi simpliciter. hæc palæstra mea vetus est; hoc studium quò vsus me duxit & natura. Vix duodecennis orationes scripsi; habui: pueriles scilicet: sed quas grauior etiam ætas laudaret in illâ ætate.*

* æquè atque Orci portas.

Nec destiti posteà: & credo me specimen etiam dedisse in Batauo hoc solo. Improbulum aliquid addam. si studium istud eloquentiæ aperuisset mihi mos mei æui, decurrere id ausus essem cum nonnemine prisci æui. Nec verbum vltrà addo. erubui. Tu vale. Lugd. nostræ, Kal. Junijs.

EPIST. XXXII. Coloniam Vbiorum.

CHRISTOPHORO PLANTINO S. P.

IN *curâ de te fuimus, mi Plantine, ob tempestatem quæ præter anni tempus sub discessum tuum exorta. Venti quidem prosperi, sed violenti, grandes. deus faxit, vt breui audiamus fuisse, sine tuâ noxâ. Imbecillitas etiam corpusculi tui nos torquebat, timentes vt parum esses ferendæ agitationi inter vndas. Solatur me vnicè tuus animus, magnus ille semper, & se maior, vbi discrimen. Apud te, vt volumus: apud me, vt possumus. Nam morbus meus non deserit etiam hanc materiem, & ignis ille interior in eâ lentè ardet. Sustentamus tamen, & corpore atque animo repugnamus. Typographia bono loco. operæ modestæ. nos Tranquillum daturi videmur cis paucos dies. Nam de Thraseâ (etsi bona pars iam parata) tardamus, offensiuncularum quarundam metu. et si non negamus multa iis inesse, quæ non ad famam meam magis, quàm ad publicum bonum. Videbimus porrò, & statuemus. Franciscus tuo-meus rediit ante biduum, mihi quidem valde gratus. Litteræ quas ad me teque adfert, testimonium de ingenio & moribus habent valdè honestum. Qui hæc dedit, seruet quæso augeatque. Sed eo quid fieri vis? hîc habes, an euocas ad te? Si hîc: dabimus ope-*

bimus operam ne otio abutatur, & vt id locet in studiis benè cœptis. Si illuc traducis: (nec id fortasse, vt tempora sunt, abs re) tua hæc cura, vt collocetur apud eos qui iuuentutem benè & peritè formant. Scis quid in sermone suaserim. Plura hic non innouata à tuo discessu, qui nunc me sane mordet. Ludouico Peresio amico nostro & M. Varroni, item Ximenio, Metello Sequano à me officiosam salutem nunciato. De rebus tuis & consiliis expecto auidè. Vale ego-alter. Lugd. Bat. IV. Kal. Septemb.

EPIST. XXXIII. Lutetiam.

THEODORO MARCILIO.

CLARVM *insigne beniuolentiæ in me edis, Marcili, literis vltrò & tam amanter ad me scriptis. Quæ ita gratæ mihi sunt, vt velim omnia quæ publicè scribo. Nam quòd tu me ames, æstimes, qui non amem? Ingenij tui fætus vidi, noui eos qui te nôrunt: in illis omnia erudita, bona legi, & ab istis audiui. Hæc de te* ταῦτα μὲν ἀλλὰ μάλα πιςῶς. [illegible] *Nam in me, vereor vt tu & tua Gallia parum veri. Ab amore vel ab humanitate effusæ illæ laudes sunt: quorum ille in te nuper natus, hæc à veteri æuo insita præter omnes gentes huic genti. Error iste est, error: sed amicus, & nescio quo modo sapientissimo cuique etiam gratus. De tuâ meâque patriâ quæ auguraris, vtinam ne tam certa! Iactamur, vnò mergimur, nisi quid adiuuat supera illa manus. Arcturus tuus turbat, & rex quispiam etiam [illegible] qui clauso freto, minatus nobis nuper miserrimam [illegible] mortem, Famem. Quid censeas? nisi in tota Europa, sed non sine [illegible], inuerti orbem hunc rerum. Id ego video*

& fero: non solùm præceptis ab arcanioribus libris firmatus, sed malorum vsu ipso, qui in animo isto genuit callum. Valetudo nostra anceps, propior tamen bonæ. qualem tibi longùm, longùm, mi amicissime Marcili, (is mihi deinceps eris) opto. Lugd. Bat. IV. *Kal. Iun.* LXXXVII.

EPIST. XXXIIII.

[redacted] D.

[redacted]

premi-

[redacted] v. Nob.
[redacted]

EPIST. XXXV.

IOSIAE MERCERO.

LISLAEVS *apud nos fuit: cur non vnà tu? Bella occasio erat: quam vereor vt nunc amissam, frustrà postea requiras. Atqui, cùm illic sis, Bataviam te nostram & in eâ Lipsium non videre, dedecus sit nostrum mi Mercere. me coniungo. Non enim tanti ego tibi? Nec crede hanc esse* —— * δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε: *diei vnius res est, cùm leuiter fauet ventus. Sed, spero, emendabis. Nostra ad Senecam Tragicum iam mitto. quid censes? & an non mecum facis in iudicio illo quod de scriptoribus feci? Nam* * τυφλὸν ἔχει ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος, *ait Pindarus: non etiam tu. Profectò si consideras, Thebaïs illa, Thebaïs,* * ἐξαίρετος *pulchra est: & quoties lego,* * σέβας μ' ἔχει, *vel potius* * ἄγη. *Nemo vatum visus mihi tam altè, & tam feliciter, volasse.* Iuonis Villiomari *in Titium ante paucos dies vidimus. Nescio an recens lectio me ita ceperit*; [redacted]. *Sed dic sodes, quis scriptor? Non enim ille falsus suo.*

* Ψεύσομαι, ἢ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός. *Scaliger noster est,* [redacted] *Non diuinaui? Quæ tamen ibi correctio inter basilicas videtur,*

Discit ab hirsuto iaculum torquere Capellâ,

nondum

* longā viam difficilemq.
* cæcum cor habet pleraque hominū turba.
* eximie.
* veneratio me habet.
* stupor.
* Mentiar, an verum dicam? iubet me animus.

nondum mihi proba. Nos aliò longè ducimus Iuuenalis eos versus. Sed hæc talia (deus faxit) aliquando coràm. De patriâ, valdè πλάσμος, mi Mercere, noster hic status. Mihi parum certum est hîc manere, imò certum non manere si hæc manent. Turbones nimis multi: vtinam vnus aliquis, qui sub Hadriano! Sed tu vale, & nos ama. Lugdun. X. Kal. Octobr. LXXXVII.

EPIST. XXXIIX. Basileam.

IANO DVYSTIO.

SI *vlla res me delectat, mi Duysti, ea est cùm vos tales video, qui me audistis. Amantes mei, æstimantes: suprà quàm meritum fortasse est: at non suprà quàm vos decet. Tu inter eos insigniter gratus: cuius beniuolentiæ in me, iudicij apud omnes de me, clara in litteris tuis video signa. Perge verò, amare inquam non tam me quàm ea quæ censes in me, Virtutem & Doctrinam: quæ te clarum aliquando efficient, & mihi certè effecerunt iamdiu carum. Studium tuum cognoscendi & compellandi illustres viros, laudo: & pudorem in omni re ama, non in istâ. Hic fructus inter alios peregrinationis tuæ sit, vidisse illa lumina, quæ cogitatione ipsâ te illustrent, excitent ad sui imitationem. Ruinæ & monumenta veterum heroüm nos commouent aspectu: quidni istæ viuæ imagines virtutum? Itaque quòd Italiam etiam ex Germaniâ cogitas, approbo: cum cautione tamen illâ quam olim Lanoyo meo (nam Epistolas meas video te vidisse) prouidè præiui. Non repeto. Hoc tantum Varronis inclamo,* CAVE CAVE CANEM. *Multi in animo,*

animo, nonnulli in corpore admorsi, æternum dolorem retulerunt è pulcherrimâ illâ terrarum. Tu me capis: audi tantùm, imò ausculta. Patauij si Hier. Mercurialem Clarissimum Medicum, imò æui nostri primarium, si inquam vides: à me salutâ, & dic ad suauissimam eius epistolam respondisse. O vtinam anni & vires mihi quæ olim! profectò lustrarem amata mihi loca, & amplecterer viros quorum nomen me recreat & diffundit. Sed coërceo exsilientem animum: te rogo, vti in me sis quem ostendis, certus à Lipsio eadem tibi fore. Lugd. Batauorum Kalend. Junijs ∞. IƆ. LXXXVII.

EPIST. XXXVII.

DIONYSIO GOTHOFREDO.

BREDERODIVS *noster, dum ad vos iter affectat, desiderium & memoriam mihi excitauit tui. Meritò te amo, qui iam dudum me: & id ostendisti non vno signo. Scripta tua, quæ in publicum elaborasti, nobis grata, tibi honesta. & in similibus edendis vt perseueres, te hortor. Vides languescere Galliam tuam, & ponere paulatim ardorem illum discendi, docendi, scribendi. Vos pauci è subsidio adeste. Malum illum deum &* βροτολοιγὸν *abisse à vobis, gaudeo: vtinam &* λοιμὸν *quod, vt hæc tempestas anni est, spero. Nos pessum imus: aut valdè fallor: nec sustentat stirpea illa, quam induximus, ratis. Fraudes, inscitia, calor, quid non corrumpunt? Fuit apud nos nuper Paulus Stephanus Hen. F. mitis animi adolescens. quod velim patri nuncies, & à me salutes. inprimis autem Casaubonum, eiusdem, vt audio, generum,* [redacted]

f [redacted]

[redacted] *cetera à Brederodio nostro audies: quem vt commendem tibi, à se commendatum, non laboro. Tamen vno verbo id facio, sed seriò prorsus. Vale V. C. & me ama. Lugd. Bat. Idib. Sextilib.* ∞. IↃ. LXXXVII.

EPIST. XXXIIX. Antuerpiam.

FR. RAPHELENGIO Filio.

SI paullò tardius, mi Raphelengi, ad litteras tuas respondeo, non miraberis si me & te videlis. Me: qui ita cottidie interpellor & occupor, vt omne tempus sermonibus aut colloquiis pæne dandum sit, exiguum aliquod meditationi aut stilo supersit. Te: qui ipse in hoc largo otio, in flore ingenij, aut spissò ad nos scribis aut siles. Et tamen scito affici nos tuis litteris, & hærere in istis medullis semel conceptum tui amorem. Postremæ tuæ me recrearunt. in quibus omnia beniuola in nos (de quo numquam dubitaui: nec aliter tibi facere fas est) & de te ipso plena bonæ spei. Vitia vides molliotis illius præsertim & residis animi: quem vtinam, vtinam, semel excites & erigas, mi adolescens, non tam citò relapsurum. Contemni à te humana, gaudeo. quæ me quidem auctore pedibus etiam trahe: sed ita vt contemtus iste ab alto quodam animo sit, non qui ipsus se contemnat. Pars illa ætherea in te viuat & vigeat: cetera illi seruiant, sed non vt cum illis ipsa. Hoc modestiam aut sapientiam censes, iacere? nihil agere? ad nullum vitæ genus collineare? Ignauia est, magnorum etiam sæpe ingeniorum pestis. Subit enim, vt ille inquit, inertiæ ipsius quædam dulcedo, & inuisa primò desidia postremò ama-

mò amatur. *Vt lignum occulta teredo consumit: sic animum delimat paulatim & exedit ignauus hic affectus. Homo es, è duplici materie, cælesti & terrena. ad duo etiam natus, cælum & terram. Illud inprimis: sed nec hæc neglegenda est, quamdiu es in istâ. Id est, famam, opes, amicos, doctrinam, hæc omnia modicè parare debes, quæ magna esse vides apud homines magnos. Ad vanam & validam ambitionem non te voco: ad media tantùm illa: quæ vsum sui varium præbere nata sunt, bonum bonis, malum malis. Per hunc omnium rerum immodicum contemtum, vide ne in contemtum veniat vita ipsa. Tempora me dant in languorem, inquies. quid tempora? tu semel statue quis esse debeas, illuc cogitationes actionésque dirige: cetera eo loco habe, quo tempestates aut ventos. Munies te contra illa, vt poteris: neminem contumaciâ aut loquentiâ irritabis: cetera permittes illi, qui tempora & temporum dominos regit. Rarò allisa nauis est, quæ modico velo legit litus. Eminentia feriunt procellæ. Hæc cogita: & illud inprimis, vt attemperes te ad consilia aui tui siue iussa. Quis illo tui amantior? quis vsu rerum peritior? nec puta prudentiam omnem à litterulis manare aut nescio quâ hac doctrinâ. Telum ea & adiumentum acre, fateor: sed non sola.*

Tua in Senecam mihi proba sunt. quid si aliud tale in alium oratorem, siue poëtam? Elige. Quæ conferre cœpisti cum Ortelij nostri libro in altero Senecâ, video non mala esse: cupio vt perseueres, & vt quemque librum absolueris, ad me mittas. Ego his diebus Controuersias contuli, & repperi haud pauca Censoribus non visa nec Romanis nec Gallicanis. Res nostræ fluctuant, & turbat vicinum mare:

nos illi (Deo hoc debemus) qui solemus, inconcussi. Vale mi Raphelengi, & si me amas, te ama. Lugd. Bat. pro- prid. Kal. Septemb. ꝏ. Iↄ. LXXXIX.

EPIST. XXXIX. Marpurgum.

NICODEMO FRISCHLINO.

SEROTINAE *tuæ ad me litteræ, tamen gratæ: vel quia tam amanter ad amandum prouocas, vel quia communicas iis rebus quæ in Germaniâ geruntur. Quam terram velut alteram parentem (origine enim nos Belgæ inde) iure diligo, atque eo magis quòd benigna ea nutrix mihi per aliquot annos. Statueram reguſtare liquores eius, & in itinere medio fui: reppulit me aduerſantis Fortunæ velut ventus. Ergo nunc iterum in aquoſâ Batauiâ meâ, mihi tamen carâ, quia carus ego illi. Cum Cruſio tua liticula nonnihil me cruciat: nollem in hac paucitate eruditorum eos inter ſe* —— * ἀντιβίοισι μαχέσσασθ' ἐπέεσσι. *Sed tamen, liberè dicam, etſi ætate ille grandior; tu mihi in hoc certamine Achilles, ille Troilus videtur. Plus virium in tuâ haſtâ, imò & cauſſâ: ſi tamen eam per calorem & immodeſtiam (quod ſpero longè à te eſſe) non corrumpis. Ego miror homines eſſe qui plus Grammaticorum præceptis tribuant, quàm illis per quos Grammatici viuunt. Mihi probum & rectum eſt, quicquid probâ & priſca illa ætas ſcripſit, etſi Grammaticorum omni cohorti aut non lectum aut neglectum. Tamen Cruſiana illa nondum vidi, & ideò iure amplio, ne audiam illud,* ἀπὸ δίκης. *Te amo, & ſaluere iubeo, & crebrò terere hoc litterarum iter. Agere te Marpurgi gaudeo, apud Principem, qui ſapientiâ Germaniæ*

* *aduerſis ſermonibus depugnare.*

princeps.

princeps. Vale. Lugd. Batauorum, VII. *Non. Ian.* ∞. IↃ. LXXXVII. *stilo nostrate.*

EPIST. XL.

FRANC. NANSIO, S. D.

EN *habes Nonnum tuum, quem remitto lectum à me cum voluptate. Ipse poëta mirificus (vt res quidem illa & versio patitur) & tu Censor, in eo emendando. At defectus quos in eo supples, iam non defectus: cùm tam felici & pari venâ carmina addideris tua, nec tua. Nonnum enim totum spirant, quem concoxisti. Perge, & ede. ego suadeo: quem scire debes tui amantem esse. Prid. Kal. Iunij* ∞. IↃ. LXXXVI.

EPIST. XLI.

ABRAHAMO ORTELIO.

THESAVRVM *abs te, mi Orteli, vidi & in parte legi: verè Thesaurum. Condita in eo habes, quicquid Græcia aut Latium habuit, in eâ quidem argumenti parte. Placet materies, ordo, industria: illa vtilissima, iste facillimus, hæc summa. Iam præloquia illa & velut lumen operis, quid? bona. Bochij vestri & Vackheri versus laudabiles: quos ex vngue illo viros puto, & gratulor vestræ vrbi. Quæ iamne respirat? Diu fauces vobis premit atra & famelica illa Diua: quam pellet, nisi fallor, nata mox Copia pleno cornu. Deus faxit! ciues enim certè amamus, & quicquid Belgarum est, longè ab odio quod factio gignit. Byzantina Imperatrix (Irenen dico) quando ad nos?*

ad nos? heu, tardè. nec viam video: nisi quia Deo, cùm volet, * ἅπαν ἄπορον, πόριμον. *Cratonem medicum abiisse audio, & doleo. amauit me vir, ego illum. At nos manemus, in extremâ velut Vitæ lineâ stantes, & animo duntaxat, non corpore, fortes. Politica nostra pergunt, sed, vt familiaris poëta meus loquitur, testudineum gradum. Ita sæpe interpellamur, ab amicis, à munere quod sustineo, à morbis. Fero omnia, & te in pectore æternùm. Vale. Prid. Non. Iulias.* ∞. IↃ. LXXXVII.

* omne inuiū, peruium.

EPIST. XLII. Erfordiam.

MATTHAEO DRESSERO.

ETIAMNE *ex dissitis illis locis aura ad me beniuolentiæ? etiam. & spirat ea suauiter in tuis litteris, quas ante paucos dies accepi amoris & honesti iudicij plenas. Vtroque gaudeo, etsi illo magis quàm isto: quia riuus hic ab eo fonte. multum me æstimas, quia multum amas. Et verò iam pridem inter nos cognouimus, cùm in Germaniâ vestrâ aliquamdiu Ienæ agerem, & ad meliores artes præirem iuuentuti. Tunc (memoriâ teneo) coïtum inter nos fœdus amicitiæ, non nisi nobiscum morituræ. Perseuera: ego de me hunc affectum tibi spondeo* εἰς ἀιῶνας. *Quem vtinam tempora & res nostræ ferrent, vt aut præsentes, aut certè vicini magis ostenderemus! fruerer te non solùm cogitatione, sed etiam possessione, & manum iniicerem in ceruices tam amicas. Fata negant. nec aliud relinquitur, quàm arcta & arcana illa animorum coniunctio: quam magis magisque ligemus per epistolarum hæc vincla. Verba ista sunt, fateor: sed* * ἀπὸ βαθείας ψυχῆς, *& re comprobanda cùm res se dabit. Salue Vir eruditissime. Lugduni Batauorum.*

* à profundâ mente.

EPIST.

EPIST. XLIII. Patauium.

EVER. POLLIONI.

ITALIANE te tenet? præter opinionem meam, fateor: & tamen gaudeo. Qui non amem illum locum, in quo iucundissimè viximus ipsi olim? qui ante nos, sedes tot illustrium animarum? Sanè amo, & si adire aut peregrinari in eo dissuadeam, repugnem interiori meæ menti. Tamen tardè nec libenter concessi hoc tibi. quid mirare, si timidus amor est? si iusta etiam mihi caussa timoris? eò magis quia gentem & loca illa penitius paullò introspexi. Ad Lanoyum quæ scripserim, legisti: crede non scripta ea animi caussâ. Mare, mare, nauigas, & id scopulosum: caue ne obhæreat alibi ista ratis. Cautè inter captatores homines ambula, te cela, linguam preme, omnia proba etsi non probas. Certamen aut dissensus omnino tibi cauenda, & vt feliciter hospitem agas, age seruum. Iactantia aut libertas nobis seruentur. nobis etiam omnis tuus amor, castus, purus, & nequid delibent ex eo obscœnæ illæ aues. Quantumuis formâ aut plumis blandiantur, abfuge; aut potius pugna, quod dicitur, περὶ κρεῶν. Reuera de illis agitur. Præsidium tu in motu ponis, & quod nusquam, vt ais, figes pedem. malo vt nusquam oculum, inprimis ne animum: & vt ille semper munitus sit in eiusmodi occursus aut aspectus. Hoc tamen suadeo, vt vidisse Italiam satis habeas, hoc quidem tempore: non placeat tibi pernouisse eam aut insedisse. Viros magnos regio fert, scio: sed sepositos aut subductos. & vt prompti sint, vix per illa discrimina adeundos. Minus mihi sape, & diutius viue. Quibus nunc velim te innotescere, paucos noui.

noui. Anni octodecim sunt, cùm Italiam ego reliqui: & qui tunc vigebant, plerosque ex iis reliquit vita. Ad Hier. Mercurialem litteras tamen dedi: virum probum, candidum, illustri doctrinâ & famâ. Bononiæ, opinor, nunc reperies. Romæ est Fuluius Vrsinus, cui salus à me fortasse tibi dederit Admissionem. Est ibidem Latinus Latinius, si tamen viuit, probissimus senum quos ego noui, & omni litteraturâ instructus. Eum quoque à me saluta. Reliqui è grandibus sunt, ad quos te non mitto: qui rem, vt opinor, quæris, non splendorem. Quod superest, Deum, vt Comici verbo vtar, animitus rogo, cautam circumspectamque mentem tibi det, & auidam ad tuos redeundi. Wiltzium meum, si illic est, à me saluta. à quo iampridem nihil audire me. sed cohibeo. Tu vale. Postrid. Kalend. Septembr. ∞. IƆ. LXXXIIX.

EPIST. XLIIII.

PETRO ALOSTANO.

DOVSA *meus ad vos venit, & est in quo operâ tuâ ei opus: quam vt benignè, et, vt ingenium tuum est, comiter illi exhibeas, te rogo. Resp. nostra quo loco sit, vides: & quò perduxerint nos acerba quorundam consilia, nec percocta satis ad Prudentiæ solem. Hinc immites isti fructus. quos ciues illi vestri numquam gustarunt, te regente. Vtinam & nunc (tibi hoc, nec tuâ caussâ dicam) eiusmodi aliquot ingenia nobis ad clauum! facilè sedarent hi fluctus. Nisi fit, mergimur, mi Alostane, mergimur. Deus iuuet, & te Vir Clariss. seruet. Postrid. Kal. April.* ∞. IƆ. LXXXVII.

EPIST. XLV. Burdigalam.

MICHAELI MONTANO.

SCRIPSI *ad te ante menses, & vt tempora hæc sunt, suspicor non vanè, parum rectè eas litteras, certè parum feliciter, datas. Nam nec ab eo cui tuas Lutetiam curaueram, responsi quidquam accepi. Itaque itero scriptionem: non quia tuâ magni intersit, sed quia meâ, scire te accepisse me humanissimas tuas litteras, & eo quidem animo quo à tali viro merebantur. Non blandiamur inter nos. ego te talem censeo, qualem publicè descripsi vno verbo. Inter septem illos te referam, aut si quid sapientius illis septem. Nam externa & polita ista doctrinarum, sermonis & linguarum ad fastum & fastidium vsque scientiam, (audi intimum meum sensum) sperno ego valdè, nisi cum prudentiâ quadam & recti iudicij normâ coniuncta dirigantur ad vsum vitæ. Ea duo postrema in te esse vidi, & illa non deesse. Nos in Politicis aliquid meditabamur, desumptum ex veterum agro, & iam pars non scripta solùm, sed tradita typis: tamen differo, & sustineo me temporum horum adspectu. Ego enim, vt pericula quæ obueniunt, non timeo aut vito, ita non temerè ea prouoco aut arcesso. Scio autem quàm facile vel in optimis consiliis peccetur, quo quod impetu non consilio fertur. Intereà in Senecam Tragicum aliquid Criticum dedi: quem scriptorem, vel ob nomen, scio & te amare. Nunc edo* Curas *meas* secundas *(ita appello) in Tacitum. Quid faciam? aliqua fallendum hoc otium est, si non salubri, certè non inutili occupatione. Tu vir magne ecquid agas, & inprimis ecquid*

g *valeas*

valeas in Regni vestri morbo, fac me tui amantem scitiorem. Lugd. Bat. XVII. Kal. Maias. ∞. IↃ. LXXXIIX.

EPIST. XLVI.

THEODORO BERNARDI S. D.

BENE *habet, mi Theodore. de Amico illo nostro extra metum sumus, imò extra suspicionem. Ille vivit (ex litteris eius mihi constat) & vivet, vt spero, in multos annos. Heu dolorem meum, si aliter! Variis virtutibus amorem nostrum meretur, & certè amore. Quòd quæris à me de Apellæis illis lineis, veráſne eas censeam, & quales? ad prius respondeo, veras, nec fas ambigere, nisi si fidem spernimus historiæ omnis priscæ. Ad alterum nunc sileo: & censeo vt prius ab Amico illo nostro quæras, cuius ingenium grande & capax, diffusum per has quoque artes. Mirificus ille vir est, & quem Homeri verbis iure appelles* —— * δαΐφρονα, ποικιλομήτην. *Ego coràm aliquid tecum, quem decretum mihi visere ineunte hoc Vere, atque vnà cum Henrico Spiegelio meo amplecti. Amo vtrumque: vterque me amate. Lugd. Bat. Prid. Kal. Mart.*

* *prudentem, variâ mente præditum.*

EPIST. XLVII.

THEODORO LEEWIO.

GAVDEO *& gratulor (hinc enim primum ordiar), quòd iterum te dedisti in iucunda hæc nuptiarum vincla. Deum quæso, vti felix tibi ea res & salutaris sit; id est, matrimonium concors. Nam in eo voto, includi censeam reliqua vota. De quo mihi magna spes est, quòd eam*

non ex

non ex dote legisti, sed ex naturâ, & ex ipsâ. Sic decuit (quidquid vulgus hîc dicet:) & equam emere, non sellam aut strata. De rep. nostrâ nec ex tuis literis mihi magna spes est, nec ex rumoribus vulgi. Si vtrimque pertendunt, quis exitus? Cedere altera pars debeat, aut potius vtraque, & sic coire in arctum & amicum fœdus. Amentia! hostis in latere, & tantum non ad portas Annibal: & nos litigamus? Atque hæc per eos eueniunt, qui sententiæ suæ tenaces, iudicia omnia & consilia spernunt aliorum. qui quam viam semel ingressi sunt, nec omittunt etiam in errore manifesto. Pestis iam olim huius & plurium rerumpublicarum: nec facilè excutienda, si aut ipsa potens, aut obsedit potentes. Felices illi Principes, quibus electio & iudicium est hominum, quibus fidant & credant. Intereà quocumque loco nostræ res: nos, mi Leewi, nostro maneamus, id est, inconcusso illo & firmo. A deo & à fato eius pendeamus, certi subire sortem omnem quam ille dabit patienti ceruice. Calcitrones isti & refractarij equi, hoc consequuntur, vt verbera etiam aliquot excipiant, nec excutiant tamen iugum. Omninò lenius omne malum fit, leniter ferendo. Qui interpretando auget, qui velut scalpit suum vlcus: facit, quod qui onus ad onus sibi addunt. Ego tecum sentio. standum in hac acie, & sine fugæ vllâ cogitatione, vincendum aut cadendum. sic tamen, quamdiu palàm aliter non suadebit ille Imperator. Lugd. Bat. XI. Kal. Octob. ∞. IƆ. LXXXVII.

EPIST. XLVIII.

IANO DOVSAE Filio.

SCALIGERVM patrem, quem ſæpe tibi laudo, mi Douſa, ipſum hic vide. Quis depinxit? quo nemo melius aut verius potuit, ſe ipſe. Quando? cùm fallere ei minimè libitum, paucis diebus ante ſummum diem. Heu, heu, quis ille vir? penè auſim dicere,

——— * σοφίῃ μὲν ἀλίγκιος ἀθανάτοισι.

* ſapientiâ ſimilis diis immortalibus.

Tres ſunt quos admirari vnicè ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles: ſed addo hunc quartum, qui natus in miraculum & gloriam noſtri æui. Scripta docent (etſi bona, imò optima, eorum pars periit:) tum hæc Epiſtola. quam tu mi Douſa, quantum poteſt, lege, deſcribe, remitte. Nam Pici non ita aurum ſuum cuſtodiunt, vt ego hunc theſaurum.

EPIST. XLIX.

IOS. SCALIGER IVLI CAESARIS F. Franciſco Vertuniano S.

INCIDI in Epiſtolam Patris mei, quam vltimam prudentiſſimus Senex dictauit. Agnoſces, puto, manum meam. Eam ille dictauit inuitiſſimus. hoc eſt, rogatu Paſchalij illius qui ſe hiſtorici Regij non tam munere quàm nomine venditabat. Quod niſi te ex Epiſtolâ ipsâ cognoſcere mallem, pluribus tibi explicaſſem. Hoc vetabat ingenuus pudor; ſed officium ſcribendi expreſſit, importuna hominis loquacitas. Quare, quum te videam ſtudioſum Scaligeri nominis, non dubitaui te hanc Epiſtolam non ſolùm in deliciis, ſed etiam in mira-

in miraculi parte habiturum. Adde quòd eam in parte officij te habere volo, quod ad me pertinere putem te nihil ignorare eorum, quæ ad amicitiam nostram aut augendam aut conseruandam spectare videbuntur. Quum Epistolam eam descripseris, remittito. Nam non tantùm meâ, sed etiam omnium bonorum interest eam non perire. Vale ac me ama. Vlmium nostrum saluta. Abenni. pridie Kal. Iun.

EPIST. L.

IVL. SCALIGER FERRERIO S.

QVOD tuis elegantissimis litteris non responderim, multas afferre causas possum, sed omnes quidem præter meas occupationes. Nam quemadmodum iucundissima mihi fuit salutatio tua, ita nihil mihi prius esse oportet, quàm vt omnibus omissis ostendam diligenter & mihi fuisse honori, & dandam esse operam vt mutuis officiis eliciam frequentiorem. Ceterùm ad hanc vsque diem nemo se obtulit nobis, qui isthuc iter faceret, nisi Quæstorum magistri, quorum tanta est superbia, vt præ se contemtis cæteris omnibus pænè regnent. Podius verò noster pænè priùs abiit quàm accessit. Atque nunc etiam ita scribo, non qui habeam quidem, sed vt ne mihi desim, si fortè quopiam meliore fato nactus fuero nuntium aliquem opportunum. Scriptionis verò meæ summa in eo potissimùm versatur, vt quammaximas possim gratias agam viro de nostro sæculo bene merito Paschalio, qui ita censuerit, me augere posse numerum virorum illustrium, præsertim in

Regiâ historiâ. Ac quamquam diuturnâ ambitione meus animus æger sibi studuerit aliquid comparare, quo se humo, vt ait ille, tolleret, sæpe tamen sese respiciens ac sui compos factus, faciundum putauit, vt iam partæ gloriæ acquiesceret : non quòd vel recusem, vel parui faciam me vti beneficio tanti viri; sed satis habiturum me debere arbitror, si quantus illi modò notus sim, tantum me ostendat posteritati. Nam quod tam gratiosè atque humanè petit, de me vt historiam conscribam, quin ad id adducar faciendum, tres omnino caussæ prohibuere. Ac primùm quidem pudor ingenuus, & dignus vel familiâ nostrâ vel meâ institutione. deinde quod quammaximis atque illustrissimis de rebus meis vbi narrauero, tum maximè dixerint me mentiri, quicumque tantum litterarum cum tanta belli gloria in seipsis coniunctum non esse indignantur. Tertium verò illud est, quùm elogio simplicissimo transigendum illi video, quæ ne maiori quidem libro comprehendi possent. Pugnaui pedes, eques, adolescens, iuuenis, miles, præfectus; certamine singulari, in obsidionibus, in campo ciuili, ad ludos equitum ordinarios, in excursionibus, in exercitibus: sæpius vici, aliquando victus sum, corpore, non animo, non virtute, sed fato: sed ita vt etiam aduersi casus ipsi maiori mihi fuerint honori propter egregia facinora, quàm ipsis hostibus victoria. loca infinita non designabo. Familiæ nostræ merita à Taxili vsque temporibus erga regnum Gallicum ad meam vsque operam notissima sunt. Quod si exempla non sunt odiosa, poterit illius erga me amor eius

animum

animum eò impellere, vt simul & Massinissam & Xenophontem componat, quorum vtriusque idea vix me vnum exprimat. Vides quàm ridiculus mihi ipsi factus sim, quùm vix centesimam quamque partem delibarim. De his omnibus ita vt volet. Nam familiam meam quotusquisque doctiorum neget, si nobilitas in vetustate sita est, esse omnium nobilissimam? cuius lux in Alani splendore ac virtute aduersus Attilam primùm refulsit. Si ad capita principum spectes, liberalium, magnanimorum, fortissimorum, perpaucæ gentes cum ea sint comparandæ. Si quis malit intueri cognationes, deductos nos sciat multis ex Imperatoribus. Quintus enim ego sum ab Imperatoris Ludouici Bauari filia. Si quid verò conferunt etiam adfinitates, quis ignorat Mastini Scaligeri filiam Beatricem, Barnabæ Ducis Mediolani vxorem, decem filias peperisse, quæ omnes maximis Europæ principibus nuptæ fuerint, vna etiam Edouardo Regis Angliæ filio, quo defuncto duxerit eam vxorē Dux Andegauensium; altera verò Siciliæ Regina fuerit? Sed vt parcam historiæ, hic est ille Barnabas, cuius fratri nupsit Valentina, & quam honoris caussâ nomino, & quâ nominatâ finem statuo gloriæ nostræ. Nihil enim mihi honorificentius contingere potuit, quàm vt essem sub luce Regum Francorum, non solùm tanquam ciuis adscitus ab Opt. Max. Francisco Rege diuino, verùm etiam particeps benignitatis atque pietatis Regis incomparabilis Henrici secundi. De meis verò vel studiis vel scripturis nihil ad Paschalium mittam. De iis moribus, qui

bus, qui ad vegetum robur animi pertinent, etiam in hac extrema senectute, qui pænè octogenarius sum, perpauca poterit, nisi graue est. Omitto frigoris, æstus, inediæ patientissimum, dies integros laboribus fregisse, noctes etiam continuasse. Hoc multis fortasse commune: illud non fortasse multis, vespere post expedita diurna negotia ad * sexaginta versus commentum esse; deinde cœnasse; post cœnam dictasse quæ ad ægrotorum postriduanas præscriptiones pertinerent; postea somnum cepisse; summo mane experrectum fremitu nūtiorum qui opem meam petunt cottidianam, interrogasse, respondisse, dictasse sub prandium vsque; meridie pransum illos ipsos versus quos vespere concepissem, ad verbum sine vlla hæsitatione scribi iussisse. Qui hoc non mirabitur, fortasse ne illud quidem, decem & septem Æschyli versus semel modò lectos summâ fide memoriter illico reddidisse. Habes quæ à Paschalio humanissimè rogatus, à me ipso coactus effudi; non quòd digna putarem tanti viri lucubrationibus atque admiratione posteritatis, sed ne viderer barbaro fastidio tam luculentum officium contemsisse. Vale. Agenno. Prid. Non. Iulij.

** Sed cxx. fuisse, eosq; Ionicos maiores Ios. filius dixit; nam & ipse describebat dictante Patre.*

Tuus Scaliger alienâ manu. meâ enim ægerrimâ hoc tantùm subscripsi.

EPIST.

EPIST. LI. Patauium.

HIERONYMO MERCVRIALI.

AD *litteras, quas à te vnas accepi, iamdiu Vir Cl^me respondi. Vtinam sæpius scriptionis hoc mutuæ iter teramus: quid mihi iucundius? Sed, vt ille ait, multæ inter nostr terræ sunt et multi montes. qui tamen separant me à te, nec separant, ad quem sæpe transuolo cogitationum & desiderij leui alâ. O Italia, quam vidi olim, non pernoui! quando te regustabo? Ita me deus amet, vt hoc aueo. vereor vt frustrà, cùm tempora video, & valetudinem quoque istam, quæ ambigua & infirma. Sed vt hoc non sit, fas mihi tamen vos interdum litterarum hac viâ adire & alloqui. quod facio nunc ex occasiunculâ, quam mihi præbuit egregius & ingenuæ doctrinæ iuuenis Euerardus Pollio, cui apud te commendando hoc satis erit, quòd vsus olim sit domo meâ & mensâ. Si te videt, ama iuuenem, & benigniore vultu excipe. nec enim aliud pretium quærit, aut certè non maius, peregrinationis suæ, quàm eiusmodi viros & hæc lumina vidisse, iisque innotuisse. Adolescens est ἐκ τῶν πολλῶν. Idem à te peto pro Henrico Wiltzio, si is quoque templum tuum adibit, excipias propitius & volens. Hypochondriorum meus morbus remisit, sic tamen vt intemperies & imbecillitas in hepate remaneat: cui vt possumus, non tam φαρμακείᾳ quàm diætâ medemur. Abisse te honestissimâ vocatione Bononiam audimus. ni id esset, valdè rogarem in Viri magni Vinc. Pinelli amicitiam me insinuares: quem ego iure æstimo inter Italorum primos. Vale, & seriò amantem tui ama. postrid. Kal. Sept. ∞.IϽ.LXXXIIX.*

EPIST. LII. Zwollam.

LAMBERTO CVLENIO.

SI vnquam, lubens litteras tuas & te in iis regustaui ex interuallo. Molestus mihi esse vereris? nunquam potes caput tam amicum. Atque hoc debeo Bronchorstio, qui vt beneficium à me impetraret, prior mihi obtulit, litteras tuas. cui adfuturum me in omni re noli ambigere. Ipse id videbit, & scio scribet. Vtinam potius tibi in re simili gratificandi occasio esset! sed patria te & publicum munus tenent, & (vt verum fatear) ita hoc rerum statu omnia hic & alibi ambigua, vt nesciam an amici sit alium temerè commendare. Dissidij semina palam video: Deus ille faciat, vt opprimantur in herbâ. Animos magnos illa gens auxiliaris gerit, & nostris certum non cedere de priscâ libertate. Vtrique tamen vt spero aliquid remittent, nec funem hunc contentionis trahent, quod non potest sine casu & pernicie alternâ. Nobis enim, quod Deus auertat, oppressis, quæ illis perennandi spes? Huic rei symbola aliquot conscripsi, quæ hic vides, in vsum & gratiam præfecti vestri monetæ. Arcanum omnem sensum non explicui: nec opus, perit enim horum talium Venus, nisi aliquid sit, quod Lector & inspector quærat, & inuento eo gaudeat. Comitem Dordraci fuisse, sed statim in Zelandiam rediisse, credo te scire. De summâ rerum non aliud habeo quod nunciem. Suspecta enim adhuc omnia, & mutuâ quadam diffidentiâ suspensa. O Belgica, hucne redacta es, vt timere eos ipsos debeas, quos euocasti ne timeas? Impedior, ignosce. nam animus mihi certè diutius tecum fabulandi, quod aut coram

aliquando

aliquando fiet, aut per litteras ocio meliore. Vale Vir Clarissime & prorsus mihi care. XI. Kal. Sextil.

EPIST. LIII. Brielam.

PETRO REGEMORTERO.

ERGONE *meas nondum accepisti? at dedi illi ipsi qui tuas adtulit, atque adeo etiam ad Baudium. Socordia hæc hominum, an perfidia? Tamen amorem & curam tuam amo, qui me alteris etiam compellas, & significas quæ gratum mihi intellegere & scire. Nam etsi, mi Regemortere, reip. non misceor (scis hac in parte decretum meum, quod nulla res mutabit) tamen non ita* μετέωρος *sum, aut ab communi hac vita abeo, vt exuam solicitudinem de patria & affectum. Ego illi bene cupio, & ex animo iis omnibus qui hanc procurant. Vtinam concordia illa inter nos, quæ esse debeat: & quæ nisi breui coit, perimus. Ego tecum quoque sentio, legum ita habendam rationem nobis, vt præualeat suprema illa lex, Patriæ salus. cùm hæc periclitatur ob priua aliqua scita siue leges, scio non solùm flectendas istas sed frangendas: & improbus, quisquis aliter sentit. Sed tamen videndum, ne quid nimis tendatur: & ne acri contentione rumpatur, quod dicitur, hic funis. Vtrique cadimus, si id fiat. Principibus honorem & dignitatem seruari, æquum & verum est: sed, per deum immortalem, ne ita illa omnia ad exactam & summam rationem reuocemus, vt neglegamus salutem. Tempestas & venti in hoc mari sunt. quis ille nauta, qui vno cursu & certa, vt sic dicam, linea perue hi conetur in portum? Flectendum est, vela commutanda, obuertenda: & curandum vt tutò potius perue-*

niamus quò instituimus, quàm vt citò. Dies multa dabit quæ nunc ardua videntur, & ille ὁ πάντων πατὴρ χρόνος. Calore quisquis vtitur apud frigidas has gentes, falletur & labetur. Duci volunt, non trahi. Ille noster μεγαλήτωρ vtinam largiatur aliquid istis cum vsurâ recipiendum, & submittat se nonnihil vt crescat! Liberè hæc ad te scribo (sed solum) nec cælo sententiam meam in hoc dissidio non dissidio, quæ est, Indulgere. Si pertendimus: è lenticulis rebus veniemus ad mage maiores rixas. Cum Ordinibus vt conueniatur, id est opidis, caput rei est: de hominibus singulis, quales & quanti illi sint, quis laboret? Sequentur, aut ruent. De collegæ mei negotio, rogari nolo. Non dicam fenestrâ, sed rimâ mihi apertâ, omnia conabor ad perfringendam hanc arcem: quamquam ille, quod scis, nescio qua caussâ alienior à me in totâ hac caussâ. Sed nihilominus μελήσει. Tu vale. XII. Kal. Octobr.*

*omnium pater Tempus.

EPIST. LIV. Leodium.

DOMINICO LAMPSONIO.

HEVS tu, *quid nuntij habes non intempestiui solùm sed infidi? Ille me in horto subitò opprimit, litteras tuas porrigit (illas quidem optatissimas) poscit illicò responsum. Intra horulam, inquam. negat. Intra semihorulam. negat. Quid ergo faciam? inquio. Mitte sodes, inquit, Hagam: totum diem ego cras illic, & in tali domo. Ego mi Lampsoni, testor Genium Amicitiæ, misi: sed litteræ ad me remissæ, cùm ille nusquam comparuisset. Hoc præfari volui, & silentium excusare. nunc ad tuas. Vrges valdè vt concinnem De institutione Iuuentutis. fiet: sed non antè potest, quàm*

*test, quàm hoc pertexuero in Politicis quod sum exorsus. Valdè id opus me tenet: magis quàm vllum meum, etsi nec meum. Colligo enim & consarcino ex scriptis alienis. Quid faciam? vereor vt error iudicij mei fuerit in ordiendo: nunc constantiæ laus est in absoluendo. Quædam etiam interueniunt, de temperie in Religionis rebus, & talia, quæ hoc æuo cum omnium gratiâ aut veniâ non dicas. Tamen faciam, & breui vt spero habebis. Nunc istud breue adtextum siue πρόσθημα habe ad Cornelium: non gustandum, nisi illo lecto. Opus eo edito fuit, quia iterum Commentarij nostri eduntur cum hoc augmento: quos qui non habebunt, contenti sint illo. Status publicus apud nos valde *κυματίζει. de Pace multus sermo & multa spes fuit: nunc iterum languescit. P. Oranium quòd amicum mihi conciliasti (tuum hoc esse scio) gaudeo. Virum magnum, &, quod caput est, bonum esse, quidni credam, qui tibi sic placeat? Itaque responde illi audacter de mutuo meo animo: quem factis verbisq. ostendam, vbi res eumque feret. Sed nónne ego Oranium noui aliquem Coloniæ olim? opinor, & qui erat ex Leodiensium gente apud Patres illos meos, quos nosti. Nec tamen opinor hunc esse. Tu quæ promittis, aut vt verius dicam, offers, de institutione à Ximenio scripta, si me amas, fac videam. Valdè me iis aut adiutum iri scio, aut firmatum. Lugd. Bat. XV. Kal. Iul. ∞. IↃ. LXXXIIX.*

* *fluctuat.*

EPIST. LV. Dantiscum.

IANO GRVTERO.

BREVES *& tristes tuas nuper accepi, de parentis optimi fato: & nunc vberiores paullò, non lætiores. Nimis, mi Grutere, taces. Quid te moneam? scio te hanc in rem omnia quæ me scire: hoc deest, quod non vsurpas. Remedia habes, sed recondita velut in thecâ tuæ mentis, non expromis. At nunc est vsus eorum, aut numquam erit. Vides publicè, vides priuatim omnia aduersa, tristia: nec spem cuiquam nisi in se, id est, in robore & contemtu quodam omnium rerum. Quid alios, quid me censes? agere scilicet dies festos? in morbo iam biennium non cubo, sed, quod deterius ego censeo, ambulo. Æger enim omnia munia fungi cogor sanorum. Alius me scribere, legere vult; alius conuiuari, hilarescere, & omnia agere vt solebam. Et tamen, mi Grutere, apto me huic scenæ, & hilari vultu personam sustineo quam imposuit magnus ille Ædilis. Tu idem fac. Nones qui ille, & ille? at multi etiam infra te sunt, & qui in cælo sibi videantur, si tuo loco. Alia solatia omitto: hoc quod sapere & scire supra vulgum aliquid tibi datum est, quanti æstimas? Si vero pretio, supra omnes debes humanas opes. Descende in te, subtrahe ab circumfusis & externis, & oblectare cum interno illo deo qui in te viuit. Ille, ille melior ignis, nisi opprimis, exstinguere vnâ flammulâ potest humida hæc omnia & lenta curarum. Huic rei en nouum subsidium, libros. Misimus enim quos petisti. At tu* Pericula *tua cur nobis inuides? irascor. Ego me velut Familiarem aliquem Larem vel primum placandum*

censebam

censebam hisce libamentis. Culpam vides, tu emenda. In Plautum iam nuper accepi, & sanè placuerunt. Non scripsi: quia tunc nullus videram, & hæserunt ex Nota apud Æmilium nostrum Rosendalium, me non inuito. Amo enim & illum adolescentem, ingenij planè boni & recti, id est tui. De Constantiâ nostrâ quod etiam nunc quidam carpunt: securus esto, mi Grutere. Morbus hic quidam animi est, & nocere magis volunt quàm nocebunt.

Illam aget pennâ metuente solui
Fama superstes.

ἄφθιτον *inquam, etsi non* ἀφθόνως *hoc scriptum. Semel hoc dicendum fuit ob Lentulos istos, quorum abundans ea ora. At tu vale. Lugd. Bat. Prid. Kal. Septembr.*

EPIST. LVI.

Fr. Raphelengio Filio.

PRAEFATIONEM *tuam duplicem vidi, mi Raphelengi, titulo ipso alteram mihi gratam. Ad me enim est. in quo non tam memoria mei delectat, quàm gratitudo, quam meritò declaras in eum qui voluit tibi semper, vult, & volet. Vtraque proba satis: vellem paullò longior. Nam etsi breuitas mihi amica, in quo haud infeliciter me sequeris: tamen in adolescentia isto æuo maior quædam vbertas mihi haud displiceat. quæ ipsa etiam esse potest, sine fraude vllâ breuitatis. Plura cur non scribis; etiamsi non pluribus? id est, cur non extendis siue Epistolas siue Præfationes tuas, & materiæ plusculum addis? Nam verba non desidero: & in eo mihi places. Vide ne rem tibi dicam: nec tu iudicio istud facias, sed fugâ quadam laboris aut intentionis.*

tionis. Ingenium tuum, mi adolescens, in omnia validum. vtinam tu exerceas, & solum illud fertile magis assiduo, vt sic dicam, vomere inuertas! Diligentiam à te volo, diligentiam: nec eam cum impetu, sed stabili quodam animi tenore. Quid? influere eruditionem aut virtutem ipsam censes, famam aut opes affluere, sine contentione & labore? erras. * θεοὶ τ' ἀγαθὰ πόνοις πωλοῦσι, vetus & vera gnome est: quam, si quid me aut te amas, ama. Manutium & Stephanum quoties tibi ingessi? tu supra eos esse potes (verè tibi vaticinor) magnâ conciliatrice Aui tui Famâ: quam illi non habuerunt. At tu hæc contemnis. vtinam omnia externa! sed contemnas tamen cum modo, qui nisi adest, insipiens omnis Sapientia est. Homini ego nihil humanarum rerum magnum esse fateor, si animum & cælestem illam particulam spectes: si corpus, & si vitam, cur neglegas ea, quæ ad modicas opes faciant aut honores? Abiectè sapit, quisquis ea abiicit. Erige igitur te, & aptum præbe iis ad quæ Auus, Pater, Ego te destinamus: adiuturi omnes in hoc honesto cursu non clamore solùm & fauore, sed & rebus. Ego quidem non opem solùm meam, sed & opes ad hanc rem polliceor: vt te præbeas dignum iis qui genuerunt, iis qui docuerunt. Omnino autem (hæc summa admonitionis meæ est) magis assiduum & crebrum te velim in scribendo, in legendo: magis etiam tui amantem, & æstimantem. non quò ad superbiam te vocem (absit, absit, illa pestis) sed vt ad tui pretium: id est, ne dona quæ magnus ille Deus in te contulit, vt aquam immotam, sordescere patiaris & obsolere. Senecam tuum exspecto cum iis ipsis Præfationibus, in quibus nihil muto. nec in meis quidem laudibus: quas decorè tu mihi das, etsi numquam recepturo. Ad te redeunt. Mitte quamprimum exemplar.

* Dij bona laboribus vendunt.

exemplar. In Thebaïde versum repperi (nescio an ita in alus libris) Meosque manes manibus infestis petit Fœdatque vultus. *ineptè. cùm legendum sit*, Meosque inanes. *De Senecâ Ortelij nostri gratiam illi habeo, & tibi facio gratiam conferendi. Nimis nouitum exemplar est, vt video ex iis quæ adnotasti de æuo. Nos in Tacitum damus* CVRAS SECVNDAS: *in Politicis paullum resistentes, in temporum hoc flexu. Vale. Lugd. Batauor.* VI. *Kal. Maias.* ∞. Iↄ. LXXXIIX.

EPIST. LVII.

IANO LERNVTIO.

AVDES, *non dicam scribere, sed cogitare, quæ scribis? Ego tui obliuiscar? ego te deseram in hoc casu? Ah, mi Lernuti, pectus mihi scindunt hæc tua verba. Sol citius suum cursum, quàm ego relinquam tam diu sanctè habitum amorem. Negas scripsisse me. qui potes? Ternas dedisse me scio. vnas famulo tuo ipsi in manus: binas misisse ad vxorem. Quid possum, si eæ perierunt? Iam in re tuâ, & ad leuandum miserum hunc casum, quid omisi? Scripsi ad* . . . . , *scribi iussi ad* . . . . : *nec vt pro amico, sed vt pro me ipso. Nihil factum, inquies. Doleo. nec nimis miror, qui scio (vt nunc se verterunt vices) gratiam meam leuem esse apud hos è stirpe Bruti. Vtinam qui hîc potiuntur rerum, sua habeant in eo loco! Lipsius non essem, aut tu non illîc. Tamen scripsi in Britanniam ipsam: & inprimis ad Thomam Henneagium, virum illustrem & mihi amicum. Daniel etiam Rogersius redux è legatione Danicâ hîc fuit. seriò cum eo egi, nec solùm vt ipse admitteretur, sed vt*

sed ut apud quos ipse aliquid posset. Quid tamen dicam? quod res est: rem volunt isti. Castorum fabulam legisti? cùm omnia fecerimus, usurpanda erit, & non eripies te nisi abiectâ tui parte. Mihi si valetudo paullummodò firmior (caput hoc iuro) iam in Britannis essem, aut in tuis vinclis. Sed quàm vacillem & quàm ægrè σωμάτιον *hoc sustineam, credo te audisse. Ceterùm spero aliquid à promissis Rogersij, quem ipsum audio futurum inter Legatos. Tu intereà, mi amice, esto quem esse te expedit; id est, vir, & fortis. En palæstra & arena, in quâ Deus spectandum te præbuit: exere institum tibi robur. Clama in Fortunam, Nihil agis: non si libertatem mihi cripias, sed si ipsam vitam. Ignaui animi ad primum ictum concidunt: tu ostende aliquid in te esse altioris auræ. Ego, imò nos omnes quotquot hic, planè tui sumus. si quid possumus, viam præsigna: inibimus, penè dixerim, vel illam quæ fert ad Orcum. Tu intereà vale, &* Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. VI. *Idus Martij*, ∞. IↃ. LXXXIIX.

EPIST. LVIII.

HENRICO WILTZIO S. D.

GRANDIVSCVLVM *interuallum fuit à te litterarum, mi Wiltzi. Accepi nunc demum, quæ te Neapoli fuisse nunciarent. Gaudeo, & gratulor vniuersam hanc peregrinationem adhuc cessisse ex voto. Deus reliqua sic secundet. quanquam quid reliqua? Deus te ad nos reducat, quod & suadeo & opto. Satis vsui datum, satis etiam voluptati. longior emansio discrimen fortasse habeat, non fructum. Si patriâ decretum carere vobis, donec omnia hic*

tranquil-

tranquilla: quando fiet? In omni Europâ turbas subseri vides turbis. Tu nobis te redde, & componere ad hoc æuum: in quo ipso minus recto, viuere semper tibi sit recte. Externa ista vis si nos cogat, malè agatur cum diuinissimâ illâ parte. At hæc talia coràm. Nam ego non consilio, non auxilio vnquam deero: & amo vos qui apud me olim, vt si ex me essetis. Meus Pollio, vbi est? audio cogitare Viennam & illum tractum. Nolim. & si propior sim, (quoniam verba nostra neglegis) manum iniiciam huic errori. Redite. in patriâ, apud parentes viuite, [illegible] mihi valete. Ad Franc. Bencium scripsi ante menses paucos. O virum, quem ego olim & nunc amo! Frater mihi fuit, nec solui vnquam possit artus ille amor. Iam dotes in eo sunt, dignissimæ vel admiratione vel amore: quas tu coràm vides & gustas. Da te viro. paucos meliores aut maiores dabit tibi ille tractus. Vale. Lugd. nostræ, III. Kal. Maias. ∞.IƆ. LXXXIX.

EPIST. LIX. Burdigalam.

MICH. MONTANO.

IAM *semel ad te scripsi, Vir nobilissime: nec satis certum habeo, an litteræ ad te perlatæ. Interuallum locorum grande est: & addo, quòd nihil hodie tam receptum, quàm fallere fidem. Iteraui igitur. & scire te hoc volui, cum gaudio me litteras tuas accepisse, & legisse cum voluptate. Diu est cùm te noui, nec noui: à mente & scriptis, non à corpore. & admiratus sum (nihil hic vanum) rectitudinem iudicij tui, eò magis fortasse quòd in plerisque simillimũ id meo. Nam fateor: in Europâ non inueni, qui in his talibus sensu*

mecum magis consentiente. Vtinam plura tibi scribere mens, aut otium! quamquam istud fortasse, non illa: quia auersum te ab omni gloriâ video, etiam verâ. Non debebas. & habere in oculis si non æternitatem temporum, at miseriam hominum: qui talibus monstrorum auxiliis omnino ducendi, fulciendi. Me valetudo prohibet ab iis, quæ vellem. tamen, vt languidi, conor & serpo: & nescio quid in Politicis breui dabo, meo textu, non tamen filo. Videbis inter primos: vtinam & probe! De Gallia tuâ & te videndo, quòd inuitas & offers: gratum est. sed qui possum? valetudo me ligat: & si non illa, etiam turbæ. quas non effugiam, vt video, nisi in plenâ illâ libertate. Salue, vir nobilissime ab eo, cui tu semper carus & magnus. Lugduni Bat. III. Kal. Septembr.

EPIST. LX.

MARIAE GORNACENSI Virgini nobili.

QVÆ tu es, quæ sic ad me scribis? Virgo? vix facis fidem. Hæcne, non dicam lectio & ingenium, sed prudentia & iudicium cadant in illum sexum, in istud æuum? Commouisti me virgo: & nescio an gauisus sim sæculi, an doluerim sexus nostri caussâ. Accedere tu ad nos vis? imò supra nos ascendere. atque ita facito, deo hominibúsque fauentibus. certè me. qui te ignotam amo, & quem affectum paucis præbeo, miror. O mihi lucem, quâ te propiùs nôrim? non enim dicam probiùs. adeò satis te nosse videor è pauculis scriptis, atque adeò vel sine scriptis. Ex vno iudicio tuo, quod de viro illo magno fecisti, non ego de te iudicem?

iudicem? Non cadit hoc nisi in illum, illámve (tu ad cautionem hanc nos ducis) qui ipse valdè magnus. Ut animam nisi anima non capit; sic sapientem nisi sapiens. Macta tu, & persta in hoc ad Virtutem & Sapientiam gradu; tum etiam in illo iudicio, quod frustrà vereris vt mutem. Darem, nisi dedissem, & vellem vberius: imò non vellem, adeò tu benignè id explicas & peritè. Intellegi sæpe mihi detur à tali mente, loqui per talem linguam. Itaque ne me roga quid hic castigem: hoc vnum, quòd rogas. Sine etiam hoc alterum, quòd à me illustrari censes Græcas litteras Latinásque. Cetera in parte amplector: hoc de Græcis, omitte. Candidè ego apud te candidam. videmus aliquid in Græcis, sed haud multum supra vulgum: & satis mihi, si haurio ex eâ linguâ quæ ad animi aut scriptionis meæ vsum. At tu iam corrigenda seriò, audi. Peccasti. quid ita non plura ad me libri tui misisti? Si piguit, cur non argumentum & materiem saltem perscripsisti? Curiosus enim sum, vt sciam (nouum monstrum) quid paritura sit virgo. Ad nostrum illum amicum & tuum, vt appellas, patrem Mich. Montanum, scripsi ante mensem, misi Antuerpiensi viâ. spero accepisse. Tu vtinam istas, & in iis spirantem nostrum affectum! Vale, vale, æui nostri (viue tantùm) vera Theano. Lugd. Bat.

EPIST. LXI.

IANO DOVSAE.

*carpendi cupidus.

*Ego tibi hæc valdè veraciter dicam.

crura distorta habentes

QVID *in Bembi historiâ reprehendam, singillatim & distinctè vis tibi scribam. Estne, mi Dousa, tanti? aut an ego naturâ* * φιλοψόγος? *neutrum: sed tamen quia valdè vis, age,*

* Τοὶ μὲν ἐγώ τοι ταῦτα μάλ' ἀτρεκέως ἀγορεύσω.

Stilus est quem reprehendo, supinus, languidus, & affectatâ imitatiunculâ fractus. Vt pueri pedes per delicias malè ponunt, & imitari vatias discunt: sic iste, cùm rectè scribere posset, maluit prauo elegantiæ studio flectere orationem & eneruare. Magnos viros ea ætas sub magnanimo Leone tulit: sed quosdam qui in puerili illâ hæresi, vt religio iis esset scribere aut dicere aliud, quàm à Cicerone scriptum, aut dictum. Inter eos Bembus. Itaque vniuersa scriptio composita & formata ad æuum priscum: & omnia sic de re Venetâ, quasi de potenti illâ re Romanâ. Hoc, fero. etiámne verba omnia ex illorum moribus tracta ad hos nostros? & vbi ea non sunt, nescio quid plurium ambitu dictum, quod assequi debeamus diuinando? Hoc vt mea quidem mens est, damno: & fallor, aut tu & viri omnes mecum. Ecce, Patres conscripti *semper, Venetorum Senatus: ipsæ Venetiæ* κατ' ἐξοχὴν, Vrbs: *anni numerati non à Christo nato, sed* ab vrbe conditâ: *qui militiæ eorum Præfectus,* σιμωᾶς *vbique* Imperator: *etiam tunc cùm alienis auspiciis ductúque militat, vt in bello Neapolitano Contarenus. Atque hæc inter minores noxias. Illa iam* * γελαστὰ καὶ οὐκ ἐπιεικτά:

*ridicula & non toleranda.

Rex Vrbini, Rex Mantuæ, Rex Populoniæ, Rex Camer-

Camertium. *Quid censes eum dicere? Duces. Atque item Ducatus ipsos, Regna. Quin disertè etiam scribit, Gallorũ regem ab Imp. Maximiliano impetrasse, vti se Re*gem Mediolani diceret. *Heu vanitas! quidne Cicero nouitium hunc titulum non nouit, confundendi minuti isti dynastæ fuerunt cum vero aliquo magnoque rege? Saltem* Regulos *dixisset, & ferrem. Ab eadem mente & causâ sunt hæc:* Sophi rex Armeniæ, *qui nobis Persarum:* rex Thracum, *qui nobis Turcarum. Tuam fidem, siue frontem potiùs, Bembe. ille tibi Thracum modò rex, cui bina Imperia subiacent, & triginta amplius regna? Nec in titulis solùm isti lusus, sed in nominibus ipsis. Quale illud de Ludouico Gallorum rege, quem* Aloysium *(magis ῥωμαϊστὶ scilicet) vbique appellat: & alibi cum facetâ additiunculâ,* quem isti *(qui isti? barbari nos & inepti)* Ludouicum appellant. *Quid, quòd etiam in diuinis rebus hæc sibi permittit? & Fides nostra non nisi* Persuasio *illi est; Excommunicatio,* Aquâ & igni interdictio: *Peccata morituro remittere,* Deos superos manesque illi placare. *Ipse Deus raro in stilo aut animo: sed prisco ritu,* Dij immortales, *idque in seriis maximè sententiis aut rebus. Atque adeò, quod omnem stultitiam superet, prudens ille Senatus Venetus ad Iulium Pontificem publicè scribit,* vti fidat diis immortalibus, quorum vicem gerit in terris. *Felicem te gentis & patriæ, Bembe! quia si nostrûm aliquis trans Alpes sic scripsisset, profectò non tulisset impune. Iam quæ periphrases in eo & circuitus verborum? Senatus Venetus dono misit Aloysio regi Gallorum* Aquilas sexaginta, ex earum genere quibus in aucupio vti reges consueuerunt. *Quid Aquilas? Ita Falcones tibi*

dicere

* Imò & inter cognomina prisca Ro. Falcones.

dicere re'igio eſt? quâ tamen voce * *Iulius Firmicus vſus. Accipitres igitur dixiſſes, vero magis etſi minùs auguſto verbo. Sed addis etiam* Reges *vti conſueſſe. Reges tantùm? rideo, & pergo. Scribis ibidem*, donatas regi pelles pretioſiores, canis ab ſummo inter nigrum colorem conſperſas, ducentas. *Quæ iſtæ ſunt? Genettas dicis, an potiùs Zebellinas? Quin, malùm, exprimis: & res nouas nouo aliquo nomine dicis? Si puritati ſermonis tui metuis, adde*, vt vulgo dicimus: *nihil infuſcas. At illud ambiguum etiam nunc me habet, quòd Iulius Pontifex* Contareno, cùm claſſem Hoſtiam adduxiſſet, vini Corſi carros ſexdecim, boues ſexdecim, hircos genitalibus deſectis bis totidem dono miſit. *Qui enim iſti Hirci? maritìne caprarum per delicias in Italiâ exſecantur? an vis dicere Veruecès? O Craſſe, ô Heraclite, ridete. Quòd ſi ad Verba & Phraſes etiam venio: benigna hercules materia cauillorum. Ecce ſcribit*, Velle ſe hominem ſuum Byzantium mittere. *Iterum:* Reip. hominem ad ſe miſſum. *quod nos diceremus, Actorem aut Legatum.*

Turrim terream *appellat, Propugnaculum ſiue Aggerem è terrâ. quo exemplo?* Sumpti, Tumulti, Senati, *inflectit ad Plautinum æuum, cùm reliqua omnia minimè antiquarij ſermonis.* Neminem vnam partem muniunt. *pro, Nullam: quia Ciceroni alibi Nemo de fœminâ dictum.* Prooppidum *ſæpe, quod nos Suburbium:* Prodominus, *qui Vicedominus Venetis: itemque*, Proimperator, *&* Proordines. *putidè, vt ſentio, aut nouè.* Rebus ſuis veritus; *crebrò & ad nauſeam, pro Timens aut Diffidens. quia idem ille Cicero ſemel fortaſſe, Vereor mihi.* Senatus decreuit, vt eorum qui fortiter atque amanter adflumen

flumen Tarum contra Gallos remp. gesserant, ratio haberetur. *Iterum:* Præfectos, qui se omnes nec strenuè nec amanter eo bello gesserant, missos fecit. *Sæpiúsque. & illud* Amanter *inuitâ sanè Venere amat.* Lauredanus naues onerarias quattuor secum afferens. *Hem! pro monstro est. Attulit? imò adduxit. Tamen iterat alibi:* Legatus Baiazetis equum Patribus attulit. γελοίως. *& ineptè, siue mari is venerit, siue terrâ.* Pensionem annuam, quam posteri eius sequerentur, Senatus instituit. *Imò, quæ posteros eius sequeretur.* Petunt, vt quò celeriùs fieri potest, viæ se dent. *Solœcum est, nec à Latio sed ab Idiotismo Italorum. Plura sunt. cur ea colligam? Ipse vide. & fateberis pleraque talia affectatè atque improbè scribi, certè indecorè. In pueris ista vix ferimus: te virum, & in tam serio scripto, Bembe, deceant?*

——— * οὐδέ τι σε χρὴ
Νηπιάας ὀχέειν· ἐπεὶ οὐκ ἔτι τηλίκος ἐσσί.

* *Neque te oportet Puerilia sectari. non enim vltrà talis es.*

At tu Dousa vale, & si quid temerè culpaui, mone. In Musæo meo. H. III.

EPIST. LXII.

HENRICO BORBONIO, PRINCIPI DVMBARVM.

ILLVSTRISSIME *Princeps, noua et prædicanda hæc humanitas, quâ vltrò ad me scribis. Quis ego sum? vnus aliquis è vulgo litteratorum. Tu quis es? inter Galliæ primos, regiâ stirpe, &, quod magis est, indole ac virtute. Atqui etiam amas me, & amicitiam meã (ita scribis) poscis. Illust*me

iuuenis, commutas nomina rerum. officium & cultum nos tibi debemus: amicitia est inter pares. Tamen & hanc, aut certè amorem, tibi spondeo: qui ita me cepisti, vt nihil magis in votis sit, quàm palàm ostendere hunc in te affectum. Natales tui ad magna te vocant, ingenium ad summa: ecce me non solùm approbatorem fautorémque tuæ laudis, sed voce & stilo præconem. Deum ego quæso, vti mentem hanc tibi, quâ ad optima optimósque accensus raperis, seruet, & te afflicto regno. quod nisi per eiusmodi columnas stat, ruit.

Illustrissime Princeps vale. Kal. Augusti.

EPIST. LXIII.

ABRAH. ORTELIO.

COGNATVM *tuum, mi Orteli, modestissimæ frontis & animi iuuenem eò libentiùs vidi, quia litteras à te attulit: nec eas tantùm, sed & munus. Adiunxisti enim Tabulam Hispaniæ veteris, iucundam mihi & valdè opportunam hoc tempore, quo Liuium & bella Punica auditoribus meis publicè explano. Scis tu, quàm multa illic mentio passim & bellorum in Hispaniâ & locorum. Itaque & gratias tibi habeo, & te planè hortor vt eandem operam in Galliâ etiam nobis præstes. nam de Germaniâ iam effecisti. Tum si Illyricum voles, aut Græciam, aut Africam, iudicij tui esto. Cessaturum enim te non esse, omnino mihi persuasi, præsertim cùm & grati labores tui sint, & otio (rebus illic tam quietis) iam abundes. Monauij amorem in me pridem noui, & nunc ex litteris eius recognoui. Oro, saluta amanter à me virum probum, doctum, &*

ctum, & gratum mihi inter paucos. De Thrasea meo, tu & ipse vrgetis. quid pollicear? aliud mihi nunc sub manu: & eo absoluto, videbo quò me impetus, aut potiùs iudiciorum hæc aura feret. Nam, quidquid ego constans, tamen mi Orteli ægrè obduramus contra minutos istos & cottidianos morsus: præsertim vbi aliquid, quod tangere fines Pietatis videatur. Doctus scio, quid sit irritare hos Cantharos: qui omnia peruolant, & olim etiam ad cælum. Nosti apologum. Nos hîc in otio, an in longum? nam minas iterum audimus & apparatus. Deo rem committo, qui publica ista ex sui numinis & nominis gloria dirigat, & te mi Orteli seruet. Lugduni Batauorum, IV. Id. Decembr. ∞. IↃ. LXXXIIX.

EPIST. LXIV. Amstelrodamum.

PETRO PAWIO.

QVIDQVID *damnaturi me Stoïci nostri sint, miseratus sum & dolui duplicem tuum casum. Illum de amisso parente: hunc nouum, de libris & scriptis. Ego scio quantum vtrumque vulnus sit, vtrumque expertus: & hoc postremum in nostro animo valet, quod in multorum omnes Fortunæ. Nónne hæ diuitiæ nostræ sunt? suauia mellificia, è tot scriptorum flosculis confecta. Et multa, vt breuitas huius aui est, haud facilè refinguntur. Addo, quòd nescio quomodo delectant nos iuueniles illi & primi nostri labores, quos velut primitias libauimus & intulimus in aram hanc Musarum. Me vndecimum iam annum carentem patriâ vides, itemque agris & opibus, quas mihi Deus modicas, sed ad meum vsum vberes dederat: tamen*

mihi crede, nulla iactura propius mihi cor tetigit illâ librorum, quam feci in Louaniensi vrbe. Subitò enim abeundum fuit, & nisi sic abiissem, numquam abiissem. Tuas miserias narras, inquis: sic me solaris? Ego verò, mi Paule, vel sic. Parentem alterum amisisti: ego vtrumque. Libros naufragio: ego, quod magis mordeat, furto. Quid tibi igitur eximium euenit, quod eximiè doleas? Fero meum casum, quem non muto; tu quoque fac, hoc exemplo. Vis communia illa me dicere? Hominem te esse: Euenire hæc in vitâ: Deum voluisse: Dolendo nihil te profecturum? Hæc omnia verissimè possem: sed subiici ea tibi à te scio, aut certè ab iis qui apud te. Ego simpliciter & pro amico ago, & hortor te ad incommoda pari mecum mente ferenda. De munere tuo apud nos moneri nolo. semel dicam, quidquid mearum virium erit, faciam: etsi nihil, in re quæ alieni arbitrij est, polliceri possum de effectu. Iudicium meum & commendationem largiter habebis. Vtrumque auunculum tuum amicè à me saluta: & Henrico hoc amplius nuncia, benè redditos mihi nummos quos Hamburgo acceperat: etsi puto eum id scire. Vale. Postrid. Idus Nouemb.

EPIST. LXV. Lutetiam.

IACOBO AVGVSTO THVANO.

DIV, mi Thuane, siluisti, nec eò minùs tamen, vt spero, amasti. Spero? imò video, cum ex epistolâ tuâ amicissimè scriptâ, tum ex munere quod beniuolè adiungis. Amo illam, & hoc laudo: argumento eximium, tractatu arduum, & in quo verè alti atque acris ingenij tui signum. Perplexa illa & breuia, tam aliena non solùm à sermonibus nostris,

Tua probitas & modestia, in litteris studium, in litteratos amor, admissionem tibi tuo iure apud me dederunt inter primos amicos. eaque vtere: numquam non Lipsius tibi patet, leuato, vt sic dicam, velo. Iuuenalem quòd doceri totum à me velles, & probas quæ in eo lêgi, gaudeo: sed vereor vt id ex omnium gustu sit, qui volunt Historias & alia (vt censent) magis ardua, à me legi. Ego tamen scriptorem eum inter apprimè vtiles numero, & dignum serio interprete & accurato. Itaq. occasione captâ Satyram vnam publicè prælêgi, sed extra ordinem καὶ ὡς ἐξ ἐπιμέτρου. Siquid vltrà tentabo, vtar libro quem mihi offers: etsi ipse bina exemplaria habeam satis proba. Sed tu quid agis? nouum aliquid cogitas? an Arnobium re[illegible] Colligo enim ex epistolâ tuâ nec hanc quidem curam te posuisse. Cupis vt ad Cuiacium scribam pro Excerptis exemplaris Regij: quod facturum me polliceor primâ occasione. Ceterùm in republicâ an apud vos quies? ita videtur. Vtinam & concordia cum finitimis prouinciis, sine quibus firmum nihil esse vobis potest contra hostem. Benè, quòd ille alibi distringitur, eoque simultates exercere vacuum nobis fuit. Classis illa magna ab Occidente, nunc apud Orcadas stare dicitur, exspectare ventum quò redeat ad incœpta. Videbimus quò recident magni isti & planè regij conatus. Latrocinia adhuc fuerunt, nunc bella. Heus tu, audistin' captiuum Hagæ Hispanum Doctorem Medicum esse, virum litteratum (mirare in Hispano) Latinè disertum, carminis etiam pangendi non ignarum? Is ad nos scripsit, & subleuari miseriam suam cupiit vt consecranei eorundem studiorum. Fecimus in parte. Vale mi Cantere. Lugd. Bat. Postrid. Kal. Septemb.

∞. IↃ. LXXXIIX.

EPIST. LXVII.

IOSEPHO CONSALVES.

ALTERA *scriptione me occupas, priusquam priori responderim. Et cur silui? non tui contemptu, aut neglegentiâ: absit. sed quia ipse venire Hagam parabam, & in sermone vberiùs liberiúsque tecum agere, quàm litteris possem. Id consilium meum euectio vestra subita impediit: & priùs audiui Medemblickæ vos esse, quàm ituros cognouissem. Excusa ergo silentium à caussâ iustâ. At nunc scribo, & te, mi Iosephe, per deum & per salutem tuam rogo, vti animum attollas contra Fortunæ vehementem hunc ictum. In carcere es, à tuis & à patriâ remotus: quæ grauia esse fateor his, qui parùm exploratos habent casus & res humanas. Te quid hic fugiat? si vsu non didicisti, quàm fluxa & caduca hæc omnia nostra, imò & nos simus: hausisti certè è litteris, & illæ tibi millena exempla suppeditârunt casuum similium aut grauiorum. Tricæ & spinæ, hæc omnis vita: & falleris, si quæris in eâ gaudiorum flores. Nosipsi, quid?*

Vt herba solstitialis, paullisper sumus.

Abeunt hæc vana, & nos abimus: nec quicquam firmi, nisi in firmo illo loco. A Platone tuo didicisti, * παρεπιδημίαν τινα εἶναι τὸν βίον. *Hæc cogita. & propriè ad tuum casum, assiduum & penè sollennem hunc esse fortunæ ludum. Quid crebrius in omni memoriâ, quàm carcer? quæ conditio aut ordo ab eo liber? Nobiles, ignobiles, seruos & reges accepit, & capiet. Perseus ille Macedoniæ rex, sceptro simul & libertate spoliatus, spiritum non traxit solùm in carcere, sed effudit.*

* *peregrinationem quãdam esse hãc vitam.*

effudit. Idem Gentio, Iugurthæ, Ptolemæis aliquot euênit. & , ne ad vetera te mittam, tua gens, illiqsi Hispani, regem Galliæ Franciscum in custodiâ habuistis; & reges Mexicanum & Peruanum etiam in vinclis. Heu sortem humanam! nasci, dolere, mori. Et tamen felices inter omnes miserias, hoc vno Christiani: quòd via nobis per hæc ad aliam vitam, in quâ gaudiorum nec modum vllum esse scimus, nec finem. Huc aspiremus, hæc spernamus: & vocem illam ex pectore efferamus, Dissolui velle, & esse cum Christo. *Mitto ad te libellos nostros De Constantiâ, quos petiisti. magis tamen ad Sacros libros te hortor, è quibus vera solatia petas omnium malorum. Mittam ad te Biblia minuscula, vti cupis, quamprimùm nancisci potero. Nam Antuerpiâ petenda sunt: quoniam hîc inopia eiusmodi exemplarium. Vale Clarissime Doctor, & confide. Viuit Deus. Lugduni Batauorum* VI. *Eid. Nouembr.* ∞. IƆ. XXCIIX.

EPIST. LXVIII. Hagam.

MICH. HVRALTO HOSPITALI.

TVNE *ad me vltrò non scribis tantùm, sed & venis? tu ille maximi viri magnus nepos? O mihi iucundum lectu Hospitalis nomen, quod nisi iure quodam sanguinis ferres, posses similitudinis & exempli. Scripta illius per te edita, dudum vidi, & habeo (certum me scito dicere), vt Homeri libros rex ille Magnus. Litteratius aliquid edi fortasse potuit & poterit; nego quidquam litteratius & prudentius simul. Pulcra hæc coniunctio; & quæ nisi sit, abite qui in studiis quæritis solidam & veram laudem: me indice*

iudice non feretis. Quòd amanter Hagam vocas, imò lictoribus missis pænè ducis: ignosce si non pareo. parebo. Nam dies Mercurij, qui feriatus nobis est, nisi quid interuenit, tibi me sistet. Ita dico, non vt occupationes excipiam aut talia impedimenta: sed vt vnicum morbum. qui etiam à vadimonio, vt scis, excusat. Ego autem iam annos aliquot nescio quomodo non tenui solùm, sed incertâ valetudine: nec quicquam promittere de me non dicam in diem possum, sed in horam. Tamen fauebit & faciet Genius meus, spero. eo magis quòd non ad seria vocor (cum Teridate quid mihi?) sed ad risus & Plauti mei sales. O te virum argutum! qui vidisti, quo vno possim capi. Veniam, veniam, & hic mecum. Vale. III. Non. Septemb.

EPIST. LXIX.

FR. RAPHELENGIO filio S. D.

CARMINA tua de me legi: proba & arguta. & in quibus hoc vnum moneo, vt videas sic me deinceps laudes, nequid offendas eos apud quos viuis. Temporum non ignari sumus: cum quibus pugnare te nolo, et si haud seruiliter seruire. Apud te & interiorem tuum animum liber esto, recti iudicij et sensus: in sermone interdum tempera, nec offende qui possunt offendere. Sapientia vera firma est, non tamen elata: non timet pericula, sed nec prouocat aut lacessit. Ascanij illius apud poëtam iuuenilis nimis ardor est, qui

Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Non ita nos. qui abundè fortes sumus si excipimus, non etiam incurrimus in discrimen. Plura vellem, non vult hoc æuum. Senecæ Excerpta tua, accepi:

cepi: & erunt vsui, si deus volet. Nam ego amo & adiutum seriò volo scriptorem illum, præceptis optimum si non vitâ. Quamquam in ipsâ vitâ, si consideras, præponderant vilibus aut seruilibus, recta eius facta. Certè extremus ille Actus si in fabulis poscit palmam: laudabilis valdè in isto. Iure doles & culpas, quæ ad Polybium scripsit, vt opinor, exsul. Quid facias? verè tunc iacuit: nec credam animo eius plenè adhuc impressum à Sapientiâ robur. Ego non tam miror scripsisse ea hominem, quàm indignor edidisse. Quiddam temporibus sæpe damus, sed furtim & apud vnum alterúmue: quod non nisi propudium aliquod hominis diuulget. Sed de isto aliàs, & fortasse Ad ipsum. Esse qui opinionem tuam fefellerint in amore & honore litterarum: non miror. Per bella ciuilia non spirant Musarum venti. Tamen, mihi crede, illæ viuent, & in portum venient inter medias turbas & naufragia multorum. Tu eis adhære, & Pietati ac Virtuti inprimis: sine quibus nec verè honestus vmquam eris, nec Meus. In nummo Orteliano (frater tuus me consuluit) nihil video, nisi ipsum sciam & quæ adiuncta: id est, quo tempore, quid symboli. &c. Lugduni nostræ, IIII. Kalend. Nouembr. ∞. Iↄ. LXXXVIII.

EPIST. LXX. Burdigalam.

PETRO BRACHIO.

LITTERAS à te accepi, mi Brachi, bene amicas. *Etiámne amor ad me penetrat è locis tam longinquis? nec tamen de te miror, qui totus es ipse Amor, sed fidus ille honestúsque. Ita me Fama & tui similes ametis, vt cor mihi te-*

mihi tetigit tam pius ille tuus in tuam affectus. O exemplum in omni æuorarum! & magis in isto, quo non solùm desiimus laudanda facere, sed etiam laudare. Liuor & obtrectatio passim, bonorum operum impedimenta aut venena. Quid tamen te morentur? qui vitæ delinimenta proijcere & conculcare potuisti, nónne facilè ista? Mihi constantia tua admirabilis est, amicitia grata, scripta nuper visa & probata. Nam tulit ea ad me noster Dousa, quem nihil eiusmodi florum, quos Musarum vspiam hortus alit, potest fallere. Tu verò salue poëta, non poëta: ingenio talis, moribus iuxta Socrates omnes aut Catones. Ab eius filio habes carmen quale petiisti. Cur non à me? iuro salutem meam, ab aliquot annis nihil tale iam scripsisse, & vix posse. Morbi quid habeam, tenes: & quàm non per eum alacris animus & poëtaster. Ignosce. volui, sed hoc tantùm. Tamen aliâs videbo, & si quis etiam halitus me adspirabit ex illo vestro & veteri meo fonte, seruiet cælesti tuæ AMATAE. *Nunc festinabat Faiius Hospitalij magni nepos, cui litteras has dabam. Vale, & qui constantis amoris exemplum es, constanter etiam me ama.*

EPIST. LXXI.

IANO LERNVTIO.

LITTERAS *tuas ad Colium vidi, non ad me: nec indignor. Illud indignor, quòd tamdiu in tristissimo illo squallore sedes, & nonnullâ tuâ culpâ. Quid exspectas? liberari ἀμισθί? nunquam fiet. Scribamus omnes, & ad omnes: nunquam nisi minis extis placabimus tuum illum Ditem. Fuge, fuge, ab Acheronte: præsertim cùm de Irenes acces-*

nes accessu nulla vltrà spes. Decedet aliquid rebus tuis. Vbi sapientia? hoc scilicet mauis, vt tibi? Pereant illa omnia, dum saluus nobis noster Lernutius. Quanquam nonnemini, quem non nomino, exigua sit è magno metallo illa rasura. Sed qualisqualis, ferenda, subeunda. Aliâ viâ qui effugium tibi esse suadent, non suadent vt amici. Torqueor cùm hæc scribo. Túne illis aliquid credis, quibus ne quid ego crederem, tu mihi primus auctor? Sperne, & sape. Litterulas cogitas, & nostras deas. valde scilicet gratiosas apud illos ἀγελοφώνις & militares. In pretio pretium est, mi Lernuti: & cetera in fronte grata sunt & verbis. Verba ego tibi non dabo. Siquid possum, non pete, sed iube: siquid non possum, abstine tormentum mihi dare, cui hoc satis tormenti, quòd tu tamdiu in tormento. In Rogersio specula aliqua erat: ille nunc in Daniâ. Ad Tho. Heneagium bis scripsi, sine responso. Præfectus Brielanus & per eum rogatus Vlissinganus scripserunt, sed non alio effectu, quàm vt meliuscule habereris. Ipse mihi Brielanus coràm dixit (probè autem nouit hominem) precibus aut intercessione solâ nunquam te liberandum. Habes meam sententiam. vtinam ad eam tua inclinet, & omittas aliquid siue de constantiâ illâ tuâ, siue de rigore! Quod mihi, hoc amicis & notis omnibus tuis videbatur. Cistas & quæ in iis, confecto rerum Indice, traditas scito Sayonio cognato tuo. ille porrò misit, quò debuit: & credo, iam appulisse. Nos cùm certum aliquid in rebus nostris statuerimus, te non celabimus. Vale, & illinc euade, si nos valere vis. IV. *Idus Septemb.* ∞. Iↄ. LXXXIIX.

EPIST.

EPIST. LXXII.

THEOD. LEEWIO.

De silentio ne excusa, aut me accusas. Nónne & ego silui? Sed profectò, quod aliàs scripsi, serius & fortis iste amor delectatur quidem fomentis litterarum, sed & sine iis viuit. Noster, vt spero, æternùm. Cogitatio eum pascit, cùm non sermo. De pede tuo molestum mihi audire: idque ex meo sensu. Nam ego eam partem tam caram quàm ipsum caput habeo: cui vita sedentaria, non sit vita. Scis quàm ambulatione delecter & motu. Cura eam igitur, sed lentè & molliter, quia nerui reduci ad officium volunt, non cogi. Filium tibi agnatum ex animo gratulor. deum precor vt is tibi hæres sit non opum magis, quàm animi & virtutum. Crescat, crescat. Ego illum & te videbo, cùm primùm se aperuerit & diffuderit stricta hæc aura. Nónne in mediâ hieme etiamnunc videmur? Quòd catellum illum diu mihi visum & simul amatum offers: agnosco amorem. Accipio: & habeo pro munere magis mihi caro, quàm si gemmas à te vel aurum. Non rideo. amaui à puero totum hoc genus, & video idem fecisse præstantes aliquot animas ab æuo prisco. Telemachus ille Homeri in concionem etiam venit canibus duobus assectis; & Patroclo fuisse nouem κύνας τραπεζῆας, idem vates tradit. Non enim ad venationem solùm aut Dianæ studium: sed ad voluptatem & tutelam habebant*

Hæc leuisomna canum fido cum pectore corda.

Ad summam, mitte, sed per fidum aliquem: ego eum paullò ampliùs amabo etiam tuâ mittentis caussâ. Sed bonâ fide, vxor-

* *canes mensarios.*

de, vxorcula non ringitur? carere eo potest, aut vult? absit vt iratam habeam tuam Iunonem: quamquam ea tam mitis, vt nesciam an habeat bilem. Sed eâ lege tamen mittito, si volet illa. De rep. nostrâ non vanè asseris pendere eam ab alienâ. Ita est. in Galliâ certamen nostrum cernitur: & qui ibi exitus, exspectandus & nobis. Vt cymba magnæ alicui naui annexa, ita nos Galliæ sumus. imò pleraque adeò Europa. Exspectemus euentum fortes, erecti, & si volumus numquam serui. Poëta Ennius olim egregiè:

> Ea libertas est, qui pectus purum & firmum gestitat.
>
> Aliæ res obnoxiæ nocte in obscurâ latent.

Tale pectus induamus, non concutient nos omnia humana. Vale, & vxori tuæ salutem dicito, pusionem etiam tuum à me suauiare. Lugd. Bat. VII. Kal. April.

EPIST. LXXIII. Lutetiam.

FEDERICO MORELLO V. C.

TVNE *ille es, mi Morelle, qui amicitiæ meæ fores suauiter pulsas? ades, ades. nemo hoc anno gratior mihi hospes. Præsertim qui Florente illo comitatus ad me venis: quem quis excludat, nisi quem Gratiæ & omnes Musæ? Nam profectò illud Siculi vatis in eum conuenit*

——χαρίτων ἱερὸν φυτόν.

Deus bone, quàm me delectârunt illa Tragica eius siue Comica? Altera res tentata magno nostro Scaligero, altera nec illi. Gratulare viro: cuius ego labori faueo, & maximè argumento. O quando nos & vos inuiset candida illa Diua? Si

ua? Si quando, certè ego recto pede ad vos, mihi populariter tam amicos. Libellos epistolæ tuæ adiunctos percucurri: sed hoc tantùm. nam herè demum accepi, cùm in via diutulè hæsissent. Amaui & exosculatus sum tuum iudicium in Thebaïde, quam voluisti etiam producere in illud Europæ theatrum. Age, age, sic oportet: inserere inquam iuuentuti non ea quæ probantur maximè, sed quæ probanda. Certè illa fabula sublimis & ætherij spiritus est, & soni in versibus supra omnes tubas. Tu, qui legisti, agnoscis. Notas ad eam Florentis vidi, & amaui. Cui à me dicito, scriptum illum vnà tecum non in externo & ambitioso isto amicorum albo, sed cum paucis ἐν ταῖς φρεσὶν δέλτοις. *Qui quòd elogia aliquot tam amica mihi tribuit: quædam non agnosco, in quibusdam nec ignosco. Irascor in illo ad Thebaïdem, quòd me Prætoris magni loco habet, se nec lixæ. Apage immodestam hanc modestiam: & ita me nôrit atque æstimet, vt etiam se. Eiusmodi viri (non sinuoso pectore hoc dico) magnus honos mihi, si non assecla mei, sed collegæ. Illa iudicia eius de Scaligero patre castigatiora, & planè ex meo sensu. Laudabilior ipse apud me, ob eas laudes. Nam quod de Tullio dixit vetus magister,* Profecisse multum cui is placeret: *ego veriùs, Magnum esse cui Iulius iste magnus. Cuius ego vitam iamdiu haueo mittere in scripta, si aliquod mihi auxilium ab iis qui interiora & minuta illa vitæ nôrunt. Nam maxima nobis patent, mirâ & ingeniosâ de se alibi atque alibi scriptione. Tu mi Morelle, vt claudam & coërceam animum nimis se diffundentem, me amare perges, vel constantiæ tuæ caussâ: ego quidem te seriò, per vestigia Turnebi nostri & munera euntem ad illud ipsum veræ gloriæ culmen. Lugd. Bat. VI. Id. Decemb.*

ↀ. IↃ. LXXXVIII.

EPIST. LXXIIII.

HADRIANO SARAVIAE.

QVÒD *siluisse me scribis, miror & doleo: cùm plenè & seriò responderim ad priores omnes litteras tuas. Quas ab aliquo iam interuallo nullas vidi, præter has querulas & breues: sed ideò mihi gratas, quia tales. Nisi & me & mea amares, non quererêris de officij huius intermissione. Illud grauius, quòd de morte filij tui (heu vnici) scribis: in quo, numquam ex animo gaudeam, nisi ex animo sum tristatus. Amabam modestissimum ingenium, nec vltrà laudandum, ne desiderium & caussas dolendi tibi augeamus. Scis communem legem, dei ab æterno decretum, & alia quæ alij hauriunt à tuo fonte. Hæc ipse tibi nunc instilla. Imus huc omnes, mi Sarauia: nec seiungimur, sed leuiter alter alterum anteimus. O beati, qui in beatâ illâ metâ! nam hîc etiam in optimo statu, quid nisi miseriæ? quanto magis in his publicis Europæ ruinis! Nam mutari eam totam & inuerti nemo prudens non videt. Censebam Politica nostra posse me mittere sub hoc tempus, trina aut quaterna folia etiamnunc restant. Firmioris attentique iudicij Lectoribus probaturum me id Opus spero, numquam iis qui peruolant, & instar apum scripta saltem delibant. Thomam Heneagium à me salutes velim, virum Musis & mihi valdè carum.* III. *Kal. Sextil.*

EPIST. LXXV.

FR. RAPHELENGIO Filio.

SENECAM tuum ſub veſperam accepi, & eum ipſum ad lucernam libaui. Placet ſeriò. Perge, perge. malè cœpiſti, ſi hîc deſinis. Saliuam tantùm, quod dicitur, nobis mouiſti; exple deſiderium vberiore aliquâ menſâ. Quid tam proprium huic ſtudio quod auum tuum immortalem reddidit, quàm Critice? quam ſi adiungis iudicio, vt cœpiſti, & opportunè: non rem ſolùm magnam feceris, ſed famam. Neutram harum contemne, etſi aliquid ante eas pone. In poëtis aliis velim te ſimile aliquid aggredi. an in Iuuenale? iuuabo: aut in quocumque alio, quem leges. Nam hoc Poëtices ſtudium, & in eâ emaculandâ labor, non dedecet hanc ætatem. Poſteà ad grauiora te ducam. Hortamina quæ nuper ad te ſcripta miſi, credo legiſti & imbibiſti. O vtinam! vtinam erigas, inquam, te, & vno certóque tenore eas, alacer ſemper & vegetus, quid non effecturę? Velim ad me ſeriò & liberè ſcribas ſiquid eſt quod te mordeat aut abſterreat. depones in fidum & amicum planè ſinum: nec id tantùm, ſed etiam auxiliatorem. Nam ego te, mi Raphelengi, quamdiu ero, non deſeram: & iuuabo conſiliis & quâ aliâ re potero. Confide. cum leni non medico ſolùm, ſed amico tibi res erit: indica ſi quid eſt morbi. Spero ſanè nihil eſſe, & ſcio cauſſam tibi non præberi ab Auo, qui te amat vt ex ſe natum, non vt nepotem: tamen cùm interdum iacere te ex litteris tuis intellego, ſuſpicor neſcio quid non eſſe ad tuum ſenſum. Æuum & mores illos noui. torquent? indica. ſi concoquere non potes, ſubue-

niet ἐπιδημία. Ego ſcio non omni ingenio conuenire, quod Homerus Marti ſuo aſſcribit, ἀλλοπρόσαλλος. Reperiemus quod ex vſu tuo fiat, & cum gratiâ tuorum. Deum rogo vt te firmet, iuueniles leuéſque animi motus tollat: quibus ſubiici te non ignoras, & vincere eoſdem debere ac paullatim atterere, hoc quoque non ignoras. Vale. Ex vrbe noſtrâ veteri. VI. Id. Nouemb.

Optimo Ortelio ſalutem.

Nos è Nundinis nec litteras, nec Catalogum. ſatin' ſeriò veſtri nos curant aut cogitant?

EPIST. LXXVI. Francofurtũ ad Oderam.

FRANCISCO HILDESHEIMIO.

TAM *benigna tua ſalutatio meritò litteras meas elicit, etſi breues. Multa mihi tribuis, Vir Clariſſime, ſed vereor vt amore inductus, qui in hanc laudis partem non bonus judex. Ego te amo ob amorem, & ſeriò deinceps cenſeo inter meos. Quòd ſi in Germaniam aut loca propinquiora vnquam venero (ita autem ſtatui:) crebrioribus iſtis litterarum alloquiis fouebitur amicitiæ hæc herba. Sin hîc manſero, profectò id arduum in tanto interuallo. Rari à nobis homines illuc, niſi ad mercatus Francofurtenſes: nec ij ſemper certi. De Plinij loco eruditè diſſeris, nec quidquam addidero aut mutauero in tuis dictis. Macte! virum te eſſe video, quales in illo orbe pauci. Sed, niſi fallor, breui eas quoque oras illuſtrabit melior hic Phœbus. Vale. Lugd. Bat. poſtrid. Kal. Sextil.*

EPIST.

EPIST. LXXVII. Antuerpiam.

CHRIST. PLANTINO.

Mi amice, nulla vnquam epistola tua aut gratior mihi aut tristior fuit hac postremâ. Languidâ manu scriptionem tuam nimis exosculatus sum, & seruabo pignus fidissimi inter nos amoris. at dolui in tuâ afflictissimâ * *valetudine, quam tamen mens mihi dictat & præsagit iam esse meliorem. O deus, & tu, facite me compotem huius voti! Aliud nihil scribo nisi hoc. quicquid à me factum voles, etiam cùm me præcedes & in vili hac terrâ non eris, impera. non viuum magis amaui, quàm posteà verè viuum amabo. Salue, Salue, Salue.*

* Qua illi postrema.

EPIST. LXXVIII.

FR. RAPHELENGIO filio.

Certe, mi Raphelengi, tristi nuncio percussi sumus, tristi: nec cuiquam vestrûm qui sanguine iuncti estis, aut in amando cessi, aut nunc in dolendo. Amisisti tu auum optimum, alij patrem, ego amicum, sanctum nomen & rarum hodie in terris. Heu mi Plantine, quis mihi post te alter? nemo: non magis quàm ante te talis quisquam fuit. Beatum quidem te qui extra præsens & imminens omne discrimen, extra molestias quæ senile etiam caput tuum circumstabant: at nos voluimur & reuoluimur in medio æstu. Tu mi fili multum amisisti, in omni fortunâ tuâ consilium, solatium, opes: Amabat te, hoc scio. Sed feramus, & illius maximè exemplo (in quo enim hæc virtus clarior?)

prompti volentésque sequamur magnum illum Deum. Scripsissem ad Moretum & heredes, sed ita me salus amet, vt ego minimè aptus sum ad solandum. Non quia iaceam (hoc dedecus Constantiæ nostræ non imprimam) sed quia haud ita firmiter stem, vt erigere alios possim. Vacillo ipse, & rationum identidem fulcro me sustento. Ad te nuper breuiter scripsi de Italiâ. nunc hoc addo, omnino ad nos venias, priusquam in alterutram partem aliquid decidas. E re tuâ erit: nec quicquam suadebimus, non dicam præter vtilitatem, sed fortasse nec tuam voluntatem. Ades. Postrid. Idus Iul. ∞. Ɔ. LXXXIX.

EPIST. LXXIX. Romam.

FRANCISCO BENCIO.

TANDEM, *tandem, vnas à te litteras. Nam & ego ordiar à querelâ. Tu ne misisse quidem fateris: ego scripsisse seriò me testor, sed tamen frustrà. Quæ autem mea culpa est, si homines parum fidi hodie aut diligentes? Ego te, mi frater, diligo: & numquam suauissimam illam consuetudinem nostram ruminor, sine interioris animi motu. Tuæ litteræ me excitant, & velut adspirant in hoc languore nostro vitalem aliquam auram. O terra, ô viri! vtinam per vires aut tempora vos reuisem! Sed ego, mi Benci, inclino, non tam æuo fractus (eâ parte adhuc vireo) quàm lento & nescio quo intestino morbo. qui tamen vitæ officia atque ipsa studia leuiter interpellat. Vos iacturam ante biennium in Mureto fecistis: cuius Senecam, extremum opus, omnino probamus. Orationem tuam in eius funere, & quicquid tuum, vidisse velim. Raro ad nos ve-*

nos venient melioris cæli illæ deliciæ: & possunt tamen per Plantinum. Ad eum virum mitte, quidquid ad me voles: & in primis (per sacrum illum Amorem te rogo) si quid editum à te, aut edendum. Censuram vis? libera erit. Laudes? effusæ. nec alius hodie id fecerit magis ex affectu. Amo, amo, primos illos meos ignes, & in iis puriter liquesco. Illustrissimum Sirletum superesse apud vos gaudeo, columen perfectissimum virtutis & doctrinæ. Fuluio Vrsino quid sit, quid Latino Latinio optimo seni, gratum si per te sciero: & si à me eos salutabis. Edidi quædam nuper, sed leuia, nec nunc mittenda. Vale, & me ama tui & probitatis amantem. In Bat. prid. Kal. Septemb. ∞. IↃ. LXXXIIX.

EPIST. LXXX.

GERARDO TVNINGIO.

AD *litteras tuas, mi Tuningi, breuiter respondeo: & hoc ipsum amoris est, quòd respondeo. Nam etsi vis illa morbi me reliquit, tamen languor & debilitas manet: nec mens aut manus satis apta ad suum munus. At ego te ex animo amo, & crescenti virtuti tuæ faueo: eoque expressa mihi hæc scriptio, eius iudicij mei index. In foro versari te iam credo: & quanquam res nondum calent (tempus ista adfert) tamen carceres tibi aperti ad cursum. Stadium hoc sub initia molestum & arduum fortasse videbitur: dies molliet, & scopus qui tibi in oculis esse debet, cum Lucro Honor. Dignitas enim & splendor plerumque ab isto campo. Ego ad amicos meos cùm scribam, non deero te commendare de eâ notâ quâ te noui. Tu confide. sponsor ego tibi, si perges hac Virtutis & Modestiæ viâ, quâ cœpisti, de*

optimo successu. Vale, & duo illa, ac me vnà, ama. Lugd. nostræ Bat. v. Kal. Decembr.

EPIST. LXXXI.

THEODORO CANTERO.

CVM *mutationem rerum audiui, quæ apud vos facta, lætatus sanè sum, quia omnia in melius versa & modestius: nec tamen valdè miratus, quoniam veterem illum statum violentum & turbidum, sciebam non posse esse diuturnum. Illud nescio an latari debeam, te potissimùm electum qui clauum teneas in hac tempestate. honori tuo quidem gratulor, idque amicissimo animo: sed molestias video, atque adeò discrimen etiam quod adiunctum, nisi clementer te dirigat & seruet ille qui te huc destinauit. Id quod spero, & eum ex affectu rogo. Illud ego valdè velim & suadeam, ita clementer & leniter omnia nunc administrari, vt vix appareat conuersum esse orbem rerum: appareat, inquam, dolore cuiusquam aut pœna. Vltio & affectus seponantur, & satis sit (meo quidem iudicio) inutiles homines remoueri ab reip. administratione. nisi si quis est vnus aut alter, qui palàm in eâ se gesserit malâ fraude. Sed nec omnia subitò mutanda, etiam quæ mutari melior ratio suadet: lentè, lentè, & minimo sono. Pro nostro Arcerio solicitor. manebit illi sua conditio? velim, quod in te sit, iuues. Non enim puto virum è calidis illis esse, qui omnia & omnes turbant. Thinnius noster an redierit, nondum audiuimus. omnino ego opinor: & admouendum iterum rebus virum peritissimum rerum. quod cùm sciero, ad eum scribam. De Prætoris reditu, audiui: & velim meo nomine illi gratuleris. Nisi*

ris. Nisi aura hæc turbida impediret, ego sanè ad vos euolarem, & facerem linguâ quod nunc stilo. De filiis tuis, ij mihi curæ erunt. Sæpe me adeant, semper mihi grati. Vale. IV. *Idus Octobr.*

EPIST. LXXXII. Preslauiam.

IACOBO MONAVIO.

LITTERAE *tuæ à se gratæ, mi Monaui, hoc asperum habuerunt & triste, quòd nunciârunt de morte Andreæ Dudithij, magni & sapientis viri. Qui etsi præter ætatem nihil passus videri potest, aut præter communem illam legem: tamen profectò dolori est, & amicum nos amisisse, & Germaniam in hoc statu rerum spoliatam notæ modestiæ & prudentiæ viro. Nam in aulis Principum, quàm multi passim, vt sic dicam, incendiarij turbarum, & qui* *πῦρ ἐπὶ πῦρ *addunt? à quorum ingenio alienissimus hic noster, natus sedare ciuiles istas tempestates, non excitare.* *ignem ad ignem. *Sed deo pacis visum vocare ad se istum Pacatorem: ideóque feramus, in Constantiæ nostræ monitis fixi. De amore tuo in me, gratiam non habeo solùm, sed refero. quomodo? amando. atque ego te vnum hoc pretium exspectare scio tui affectus. Mihi quidem iucundum & quasi pabulum quoddam studiorum est, amari non tam à magnis, quàm ab eruditis & vitâ quoque probis viris: quâ in classe te scio esse, optime Monaui. Nos valdè nunc distringebamur editione Politicorum. quod opus Regibus Principibúsque scriptum, vtinam vsui quoque iis sit? quod non despero, si capere tamen poterunt eius generis scripta. Sed deus videbit. ego arduo labore defunctum me scio, & soluto pede ad*

mitiora

mitiora & planiora iturum. Thraseas noster omninò differendus est, & te atq́ue rogo, ne quis me roget. Vale Clarissime Monaui, reliquum in iis locis affectus mei fulcrum. Nonis Iunius.

EPIST. LXXXIII.

LAEVINO CALVARDO.

SCRIPTIO *tua mihi grata, & scribendi caussa. Amor in me, & humanitas in adflictos te impulit: quorum vtrumque amo, & hanc etiam laudo. At illud mihi iuxtà ac tibi nouum, fuisse in eo grege Hispano hominem Latinas quoque litteras doctum, & doctorum amantem: cui auxilium, aut certè solatium, meritò debemus. Id, quod in me est, non faciam solùm sedulò, tam amicâ præsertim tuâ rogatione inuitatus, sed iam feci. Conueni quosdam qui cum Prætore huius vrbis agant, qui nauim eam cepit, & in cuius hic est manu. Videbo an in vrbem nostram adduci possit, eamq́ue habere pro custodiâ. Sanè Musarum illum alumnum æquo iure censeri cum Barbaris, ignominia nostra sit mi Caluarde. quem ex animo saluere iubeo, & me amantem tui quoque amare.* XVII. *Kal. Septembr.*

EPIST. LXXXIV.

DOMINICO BAVDIO.

PLVSCVLAS *à te litteras accepi, fateor: ad quas silui, non voluntate aut subitâ ignauiâ, sed quia deinceps sic cogit valetudo. Tibi narro Baudi. frangor paullatim, frangor: & per assiduum hunc languorem deserit ponitque*

nitque calor & vigor ille in nobis, velut ventus. Velo ferri solebamus, nunc vix remis. Politica etiam mea, serium opus, valdè me tenuerunt. Nunc ipsa absolui, nondum quæ adipsa: id est Notas. Inuidia fatebitur arduum & operosum opus esse, nescio an probum. Tu certò & semel sic existima, tè à me æstimari, amari: & semper id fore, siue scribo, siue sileo. donec perpetuùm tamen silebo. De munere siue titulo, quo non sine fructu gaudes, tibi gratulor, & voueo atque auguror maiora. Amande ama. Idib. Jul. ∞. IƆ. LXXXIX.

EPIST. LXXXV. In Hungariam.

MICHAËLI FORGACZ, libero Baroni de Gimes.

AMANTER *valdè me prouocas ad scribendum pariter & amandum. quis tu es? ignotus mihi, imò notus, vel ex vnâ epistolâ istâ, in quâ faciem video pulcherrimâ mentis. Etiámne ille vester remotus & verè Martialis tractus, educat ac profert Palladias istas proles? gratulor tibi hanc indolem, te patriæ: quæ profectò præsidium grande & lumen exspectat ab eiusmodi alumno. Quòd si hanc dire&tam ad laudem & Virtutem viam, plerique è tuâ classe ingredi vellent: quid Europâ beatius? quæ nunc iacet misera vndique telis confixa ciuilium turbarum. Sed resurget profectò aliquando (& ea certa spes me tenet) eiusmodi adminiculis & fulcris. Tu perge, & te litterarum ac Sapientiæ studiis primùm, mox patriæ trade: palàm facturus, quantum intersit inter doctos cultósque Nobiles, & istos, qui nihil lucis habent nisi à luce maiorum. Meam*

quidem amicitiam quòd appetis, ita cupidè offero, vt ipse propior appetenti sim: & in tempore ostendam. Lucubrationibus nostris quòd delectari te scribis, vtinam & iuuari! Spero tamen id facturum opus quod nunc edo, in quo Principem formo & eos qui ad gubernacula rerum admouentur. Laboriose mihi opus scriptum fateor: sed vobis, vobis, non huic vulgo. qui nec capiet, nec si capiat, fructum faciet in præceptis quæ nihil ad ipsum. Regendi imperandique munus vobis conuenit; plebi obsequij gloria, *vt ille inquit,* relicta est. *Nobilissime Baro vale. Nonis Iuniis,* ∞. Iɔ. LXXXIX.

EPIST. LXXXVI. Coloniam.

GVILIELMO CRIPIO Filio.

AD *epistolas tuas respondere, mi Cripi, magis volo aliquando quàm possum. Distringimur nimis sæpe, nec cùm nuncius appellat, vacamus illicò ad scribendum. Addo, quòd plerumque ille festinat. Hoc semel scito, & excusa. Aliàs, amo te tuumque ingenium: quod excitari etiam nostrâ voce nonnihil velim ad pulcherrimas artes. Et si enim per te promptus erectusque es: tamen vt equum in cursu plausus, sic optimam indolem laudes & approbatio iuuant. Quanquam quid valdè iis apud te opus? patrem habes,* * παντοίῃς ἀρετῇσι κεκασμένον, *vt ait Homerus de Vlysse: virum reuera & vsu & doctrina inter Belgarum primos. Hunc audi.* * Αἵματος εἰς ἀγαθοῖο φίλον τέκος: *quæso ne degenera, & lucem quoque à te aliquam adfer ad illam lucem. Quod porrò scribis de libris illis priscis: magis est vt voueam, quàm vt credam. Sæpe iam ita decipimur. Blandi rumores*

*omni virtute decoratum.

*Sanguinis es boni care puer.

rumores sunt de Ciceronis Republicâ, de Liuij reliquis: sed rumores. ——— * κακὸν δ' ἀνεμώλια βάζειν. Vale, & in virtute ac doctrina pariter mihi cresce. Lugduni Bat. Postrid. Idus Mart. *malum vana dicere.

EPIST. LXXXVII.

IOH. ARCERIO:

VIR doctissime, Res tuas iterum stabili loco esse, idque in ipsâ patriâ, valdè tibi gratulor, * καὶ ἀπὸ βαθείας γνώμης συγχαίρω. Præsertim cùm honestissimum illud munus adeptus sis, & in locum successeris viri nobis olim amici. Ita profectò est. Deus non deserit suos, sed abducit à loco vt ad meliorem reducat, & obiicit sæpe non sperata. Nos in tenui & veteri nostrâ valetudine tamen Politica absoluimus: quæ vtinam ne mecum langueant, & sint, quod dicitur, * ἵππου γῆρας. Mihi tamen firmum compactumque opus videbatur, & ferendo æuo: sed mihi. Vestra aliorum iudicia exspecto, nec ante me do ad absoluendum. Nam quod ad Notas attinet, * μέγα ἔργον ἄρρεκτον, vt ille inquit: & id quoque fecit morbus. Exemplaria quattuor ad te mitto, distribuenda pro inscriptione singulorum. De Galliâ, credo vos audisse magnum illud facinus, & inopinatam Regis cædem. Ego video Deum res magnas, res nouas moliri, & conuersionem status in vniuersâ Europâ.

* & ab intimâ mente gaudeo.

* equi senium.

* magnum opus imperfectum.

* ——— πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα,

Ἠδ' ἔτι καὶ λύσει.

* multarum vrbium soluit culmina: Atque etiam soluet.

Vtinam saluis nobis! Vale vir ornatissime, & cum vxore tuâ à me meâque salue. Lugd. Bat. XIII. Kal. Septemb. ∞. IↃ. LXXXIX.

EPIST. LXXXIIX.

ISAACO CASAVBONO.

NON redditas tibi litteras meas, mi Casaubone, non miror solùm sed indignor. Spernam ego te? ne differam quidem: & respondi illicò vt accepi tuas. Gratæ mihi & [redacted] & à tali affectu, quem calidum profectò in me promis. Amo, amo vicissim, nec tam frigidum aut rigidum mihi pectus, vt non incalescat & moueatur ab hoc igne. Strabonem tuum vidimus, [redacted] prodi & age hanc personam. [redacted] potes. Sed, heu, Gallia vestra quàm æstuat! vetus, florens, & illud regnorum, vt sic dicam, regnum, quàm periclitatur non conuerti sed euerti! Illacrumo. nam fateri debemus illustrium ingeniorum iam ab aliquot annis hanc matrem fuisse, aut sedem. Nos quoque in veteri nostro bello: sed minùs feruidò, & consumimur lento quodam igne. Feramus, & nos, mi Casaubone, istis litterarum Sapientiæque studiis inuoluamus: in quibus subductio, aut certè aliqua seductio est à turbis. Vale. Lugd. Bat. Postrid. Non. Sextil.

EPIST. LXXXIX.

PHIL. MARNIXIO.

ACCEPISSE *te librum nostrum, legisse, probasse, serio ego gaudeo. In tuo iudicio quidni acquiescam? qui secasti hos fluctus, & bene penitus te immersisti in rerum ciuilium istud mare. Nosti ergo, & peritiam tibi ingenuit ipse vsus. Qui nobis quidem modicus adest, & liberè cum* Homerico adolescente *fateor,*

* Οὐδέ τι πω μύθοισι πεπείρημαι πυκινοῖσιν.

Quò magis vestrum est, monere & dirigere siquid peccamus. Quòd malles in Εὐσεβείας *illâ re verbis quoque me* εὐσεβεῖν, *spretis illis profanis: fecissem profectò si distinctius & accuratius dicendum de iis mihi putassem. Hoc omisi, aut distuli: & caussam nónne vides? Cùm tam pauca & timidè dixerim, nunc quoque vndique incurrunt, penè dixerim,* —— * ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότες: *quid futurum erat si magis me diffudissem? Libaui igitur: & ideò in stilo quoque nihil mutaui, & exiguam illam laciniam pertexui filo quo reliquam vestem. Quod si tamen tibi hic aut alibi aliud videtur, mone, & me deuincies. Aliorum voces siue calumniæ, asperæ:* * ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου. *Tuus Gedeo Botzelarius mirum est quàm se nobis probet, modestiâ, diligentiâ, profectu. Stirpe suâ dignus euadet. Vale. Lugd. Bat. Prid. Kal. Octobr.*

* Neque ego adhuc sermonum prudentium vsum habeo.

* agrestibus suibus similes.

* bona admonitio amici.

EPIST. XC. Leodium.

DOMINICO LAMPSONIO.

IAM *nunc mihi adest, qui ad vos abit. Ipse tibi dicet, tempus mihi non fuisse ad longam scriptionem: atque adeò, vt familiariter tecum loquar, è lectulo me excitauit. Sed vigilo, vigilo, cùm Lampsonij nomen auribus & menti meæ insonuit. Iamdiu etiam ego à te nihil. quid tum? tam scio amare te, quàm me spirare.*

* Οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.

** Non est amator, perpetim qui nō amat.*

Politica nostra absoluimus: cape, lege, arbitrare. Nam iudicem aliquem te tuique similem, valdè mi Lampsoni volo: versatum in rebus scilicet, nec à lectione solùm sed ab vsu doctum. Vide sicubi erramus. Breuia ista sunt, & adstricta, fateor: sed apud te quid excusem? scio in eiusmodi rebus rem te velle, non supina aliquot & natantia verba. quò nimis ferè inclinant, qui res Ciuiles hodie scribunt. Nimis, inquam, se per disputatiunculas diffundunt. At mihi Cretenses illi probi: quos Plato ait * πολύνοιαν μᾶλλον, ἢ πολυλογίαν ἀσκῆσαι. *Nos iam in manu habemus Dialogum* De magnitudine Romana: *& perficiemus si Deo visum. Epistolarum etiam Centuriam alteram extrudimus, & priorem reformamus. Apud me ista: tu quid? scribe, scribe, nec (quod callidæ amantes solent) desiderio nos torque. Lugd. Bat. postrid. Idus Sextil.* ∞. IↃ. LXXXIX.

** multa menti magis, quā multis verbis studere.*

EPIST. XCI.

FR. RAPHELENGIO filio.

MI Raphelengi etiamnunc fluctuas? quousque? Semel statue rationi & nobis pareas, an tibi. Illa suadet differri iter in proximam æstatem, ob caussas multas. E famâ tuâ erit, è re tuâ, ex vsu familiæ Plantinianæ. Tam citò solui & abrumpi illum cœtum sublato capite, sit indignum. Caussas quas habes, ego quoque intellego, atque adeò approbo: sed calidè nihil fieri volo aut importunè. Ne nimis cupidè cupe quod cupis. Mali ominis sit nimia hæc festinatio. Audi me ex animo loquentem. Ire te in Italiam ad multa vtile est: vt absis ab his turbis, vt videas & discas, vt locum & occasionem quæras emergendi. Hæc omnia vera sunt, & suadeo: sed hoc quoque verum, magis decôrè te iturum post aliquot menses, magis tutò sub æstatem, & magis prouidè omnia ac dispositè acturum. Vtinam antè te vidissem! id quoque è re tuâ fortasse esset, & certè ex meo voto. Sed nos ea audimus, vt verear ne breui interclusæ omnes viæ. nisi si ipse sub Ver proximum in Germaniâ me sisto, quod haud despero. O iuuenis in quod æuum incidisti? sed tene viam rectam, haud pœnitebit. Ne pugna cum temporibus, & serua te ad meliora fata; sed sub tegmine & vmbrâ semper modestæ Virtutis. Ego desino: haud multa libet. XIII. *Kal. Sextil.* ∞. IↃ. LXXXIX.

EPIST. XCII.

CASPARI VOSBERGIO.

DISTULI *respondere litteris tuis, sed sine tuâ vllâ noxâ. Nunc id facio per Legatum Regis, cuius negotia tibi commendo, & peto, quod in te est, ea matures. Nostri quàm lenti sint, præsertim vbi pecuniaria res est, non te fugit.* Politica *grata tibi fuisse gaudeo: quæ tu quòd Thesaurum appellas, magis ex amore facis, quàm quia merentur.* Hoc tamen liberè dixi & repeto, *ruminanti ea plusculum aliquid semper suborîturum quàm primâ specie visum.* Hortaris me ad reliqua, & *præsertim ad Aristocratiam. quam ego quoque probo mi Vosbergi, sed benè compositam, & qualis illa Spartanorum fuit aut hodie Venetorum. O quis deus eam dabit! Tamen illam quoque conceptam in mente habeo; & vnius omnino libri res erit. Sed priusquam aggrediar, certum mihi audire & libare iudicia de toto hoc genere scribendi. & si vniuersum displicebit, silere; (cur enim vela faciam aduersis ventis?) si in parte, cognoscere, & refingere siquid minùs rectè aut consideratè à nobis scriptum. Nam id numquam pigebit. Apelles in magnis suis laudatisque operibus hoc seruabat, vt ea publicè proponeret omnium oculis ac linguis, atque ipse velo aliquo tectus iudicia venaretur etiam minimorum: cur nobis hoc non fas in opere quod tangit omnes? Sed nec Notas, vt vides, plenè absolui. quod caloribus istis immodicis tribues, qui valde me dederunt in languorem. Te valere opto, & nos amare. Lugduni Batauorum, XIII. Kalend. Septemb.* ∞. IƆ. LXXXIX.

EPIST.

EPIST. XCIII.

NATHANI CHYTRAEO S. D.

ACRES *quasdam faces epistola tua mihi subdidit, quam ipse Amor tibi scripsit. Non me fallunt supina quædam aut natantia verba, & illa quæ ab imo pectore profecta. Talia tua sunt. & iam mihi carior noster ille Lydius, per quem tu quoque inter meos caros. Quid verbis me diffundam? redamo sic amantem:* [redacted]*, sed etiam fratris aspectu, qui mihi inter Germaniæ primos.* [redacted] *plura apud te. pergamus in hoc cursu, & quod reliquum est vitæ viuamus* ——* φίλα εἰδότες ἀλλήλοισιν. Accipe daque fidem. *& salue. Lugd. Bat. Idib. Mart.* ∞. IↃ. XC.

[redacted]

* *mutuum amantes*

EPIST. XCIV.

MART. LYDIO.

AMICA *tua epistola, ut semper, atque etiam anxia pro nostrâ famâ. Agnosco amorem: sed de purgatione, quod scribis, quæso omitte. Quid me eluas apud eos, mi Lydi, quibus decretum quacumque de caussâ** μῶμον ἀνάψαι? *Ieiuna imò turpia sunt quæ adferuntur (ago liberè:) & te aut me non noui, si hæc** ασυδαιότερον *excuso. Impiè hoc scripsi, inquiunt, quòd Religionem omnem tolero in repub. modò vetus. Etiámne gentilium? etiámne Turcarum? etiam. Ubi hoc scripsi? Verba adfers. sed ô boni, ergo notulam illam*

* *maculam innrere.*

* *diligentius*

graue iis legere, quæ ad oram? Coërcui enim ecce, & restrinxi: Mos Probvs & vetus seruandus. *Satin' clara hæc verba? ita vetus tenendus, si probus. Iam illud alterum, in quo Sæuitiæ me arguunt, bellum. Quis verba ea bonus integerque vir legit, qui non capiat ex meo bonoque sensu? At possunt aliorsum flecti. Multa talia in omnibus scriptis: sed eos nempe carpimus, qui sic flectunt. Melissæ aliquæ flores nostros insideant, non istæ Arachnæ. Quid verba facio? his talibus suadeor, non vt aliter scribam sed vt ne scribam: & silentio tuti simus, quoniam ratione vix licet.*

* Δυσμενέες γὰρ πολλοὶ ἐφ' ἡμῖν μηχανόωνται.

* *Multi malevoli in nos machinantur.*

Ego tibi verum verbum dicam. Quosdam ex istis torquent non quæ scripsi, sed quæ non scripsi. Intellege, & me iam olim tuum ama. Lugd. Bat. XVII. *Kal. April.*

Qui has tradet, Nansius Filius erit, vt opinor. Faueas ei quæso meâ causssâ, & aut cæptam spem promoue: aut si ea mortua, in nouâ hac iuua. Ab ipso audies. Saluta amicos Arcerium, Drusium, Gilardum.

Ecce responsum etiam ad Nath. Chytræi epistolam: rogo te cures.

EPIST. XCV.

Regnero Grvtero.

Gratae *mihi tuæ litteræ, mi Grutere, nec est quod excuses. Peccares, nisi sic peccares. Ego, etsi non semper respondere aut scribere vacuus, tamen legere: & nimis quàm libens sermones vestros libo, qui aliquando in nostrâ disciplinâ. Statum & formam Academiæ vestræ per te*

per te cognoui. probus est: sed inprimis ille vir magnus, quem iure laudas. Iunium intellego: cui tu, mi Grutere, adhære, & recondita multa hauri ex arcano illo vberique penu. Chrysmannus aliquídne De temporibus post Scaligerum? durus ille concursus est: & tamen scio esse, quæ post eum addi illustraríque possint. Nos post Politica edita redimus in veterem campum; & vel mores Romanos illustrabimus, vel spinas aliquot in eo runcabimus critica istâ falce. Deus valetudinem modò & otium mihi det: de quorum altero vix spero, cùm turbas video quæ in Galliâ natæ. Vale mi Grutere, & identidem me appella. Lugd. Bat. III. *Id. Sextil.* ∞. IↃ. LXXXIX.

EPIST. XCVI.

MICHAELI MONTANO.

VIR Nobilissime per epistolam rarò te alloquor, sæpissimè animo & affectu. Utinam res vestræ aut nostræ quietiores! numquam ego deum videam, nisi te viderem. Nam litterarium boccolloquium, nugæ: meri amores & mera suauitas, os aliquod amicum intueri & amplecti. Sed, vt ille ait, Νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοί.——— *Politica nostra tandem edidi diu pressa, & nescio an vel nunc emissa aue satis faustâ. Æuum ego & hæc præiudicia an ignoro? sed tamen temperasse me videbis, & nihil nisi communibus præceptis scripsisse: excipio paucula de Religione. In quâ consilium nostrum nec improbum nec imprudens fortasse apud probos. O tui similis mihi lector sit! & tu iudicium tuum liberè, & vt vir es, scribe. Turbæ apud vos magnæ: si ingenium tuum noui (vt certè è scriptis noui:*

in quibus non fallax tui imago.) quiescis. Quod vt tutò & diu possis, æternum Deum rogo. XV. *Kal. Octobr.*

EPIST. XCVII.

NICOLAO OVDAERTO.

ACCEPISSE *te libros Politicorum, mihi gratum, & magis, te probasse. Ex animo tibi dico. probari tui similibus lucubratiunculas nostras gaudeo, et si pleraque scribimus non huic æuo. In illo ipso opere Politicorum, quàm multa parùm ad palatum huius illiúsue partis? nec aliter fuit, aut erit, vbi sunt partes. Veritatem puram candidamque ego scio, & immunem ab omni adfectu. Vt oculi, vbi glaucoma obsidet, puriter non vident: non item mens, vbi adfectus. Præiudicium iudicium omne tollit. At in iis quæ de Fato scripsi, gaudeo quòd liberè mones. et si ego me insistere tritam & priscam viam sentio, nec in aliâ mente esse Thomam & argutos illos in Ecclesiâ Doctores. Tamen si quid aliud, videbo: & tuo monitu libens non explicabo solùm, sed, si opus, retractabo. An me pudeat? numquam. & veram rectamque viam tardè videre & inire possumus, numquam serò. Magnum illum virum nobis obiisse, doleo: &, heu patria, quàm talibus nunc eges! Impetus & calor est, qui nos perdiderunt & perdent. Sed ego longiùs progredior, cui hoc tantùm propositum scribere. me te amare, et gaudere in amore tuo mei: quem vt propages deinceps ac serues, consuetudinis caussâ, rogo. nam necesse non esse, facilè ex eo mihi liquet, quòd sine vllo nomenclatore, tot annos firmiter eum in arcanâ istâ mente coluisti. Vale Vir amicissime.* V. *Idus Nouemb.* ∞. IↃ. LXXXIX.

Berche-

Berchemij nostri mentio in epistolâ me excitauit. quid illo fit? vbi est? amo, amo, virum.

EPIST. XCVIII.

Hvg. Blotio.

VERE *diuinasti. perierunt litteræ tuæ quas Thysio dedisti; neque ego vllas, præter has à συμβιωταῖς meis, vidi. An ego tam diu aliâs siluissem?*

* Ζεὺς τό γ' ἀλεξήσειε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

Meritò amantes ego mei redamo, & te mi Bloti inter primos, verum & veterem Musarum mystam. Ergò scito amicitiam tuam mihi caram, gratum etiam de scriptis iudicium: quod etsi nimis sumit ab affectu, tamen, liberè fateor, his talibus —— ἀέξεται ἔνδοθι θυμός.*

Tu si me litteris tuis sæpiùs appellaueris, & in iis rerum etiam aliquid asperseris quæ istic geruntur (præsertim siquid ad nos & hæc studia:) beabis, & reipsâ videbis prouocatum à te, quod dicitur, ἵππον εἰς πεδίον. Vale. Lugd. Bat. Idib. Martiis.*

* *Iupiter hoc auertat, & immortales dij alij.*

* *augetur intus animus.*

* *equum in planiciem.*

Illustri Baroni Hieronymo Beck à Leopolstorf gratiam debeo pro affectu in me, quem ex animo iubeo saluere. item nostrum Leunclauium.

EPIST. XCIX.

Everhardo Reidano.

SCRIPTIO *tua me affecit, & iudicium de Politicis, quæ votum mihi præcipuum est vt approbem vobis. Aliorum sermunculos quid curem? placere iis & satisface-*

re in alio quouis argumento magis possum, quàm in isto. Ego liberè quod mihi visum est dixi, & sæpe magis ex vsu publico, quàm ex gustu. At sunt etiam quidam qui Batauiæ finibus me includunt, & omnia scribi volunt pro hoc statu. Inepti! quod non Plato, non Aristoteles, non quisquam veterum fecit, qui scripsere aliquid in spem diuturnioris æui. Hic illa forma reip., alibi alia: atque vtinam nobis Princeps sit, sed ille astrictus & legitimus, & qualem formo. Iam etiam quidam diffundi me voluerunt, & iuisse potiùs per liberam semitam & vestigia nostra. Haud difficile mihi, fateor: sed aliò me duxerunt rationes quas dixi, & quas non dixi. Faciam tamen aliquando, si viuo, & Notis meis siue Commentariolis abundè explebo hanc sitim. Mihi iamnunc materies ea parata, sed premimus & calamum paullisper retinemus scripturientem. Ego, vno verbo, te amo, & id mihi fieri à te percupio. Vale. Lugd. Bat. XII. *Kal. Mart.* ∞. Iↄ. XC.

EPIST. C. Londinium.

LANCELOTO BRVNIO.

PADDEIVM *tuum insignem virum libens vidi, & officia præstiti quæ potui prolixè. Malo ab ipso hoc te audire. Sum naturâ in omnes benignus, tum maximè in nostri gregis homines, & qui commendant se colore isto litterarum. Colore inquam, non fuco. quia reuerà Paddeius tuus, imò iam noster, seriò se melioribus istis scientiis tinxit. Nos titulum ei dedimus, sed rem attulit ipse ad nos abundè. De valetudine meâ quid scribam? potes ex ipso audire, qui* αὐτόπτης. *Tamen vos medici probè scitis, quicquid dissimuletis, le-*

letis, leniri non tolli hos morbos. Vbi semel radices egerunt, hærent. Itaque langueo, & præsertim per hos Caniculæ insanientis æstus, qui corpus hoc per se siccum & aridum, penè reddiderunt cornu. Animo tamen egregiè adhuc sustento: & deus mihi seruet hanc mentem, numquam eâ parte succumbam. Britanniam vestram & vos amicos videre iam diu gestio: sed nescio quod impedimentum mihi nascitur aliud ex alio: & ægrè muto locum, quem numquam tamen sine fructu & bono valetudinis muto. Sed videbo, & fortassis aduolabo παρὰ δόξαν. Franc. Vlmi De Liene *iam diu lêgi, missum ad me è Galliâ. nam ego vestra medica, præsertim si quid elegantius, valdè appeto, & diuerto suauiter in illos Naturæ hortos. Túne in eodem argumento? diuulga, & doce nobilem aliquem vsum in nobili illâ parte.*

Sed heus tu, quid Typographis vestris visum Politica mea recudere? non debebant. Ἀτελῆς *adhuc opus est: & præterea, prima illa exemplaria ad vos missa, haud satis emaculata. Alia aut emendatiora sunt, aut præferunt certè suas mendas. Itaque factum hoc non amo: sed te fideliter mi Bruni. Vale.*

FINIS.